OPUSCULA BIBLICA PONTIFICII COLLEGII ANGELICI

# DE HERMENEUTICA BIBLICA

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

DISSERUIT

P. SERAPHINUS M. ZARB O. P.

S. THEOL. LECT. ET S. SCRIPT. LIC.




ROMAE
APUD PONT. COLLEGIUM ANGELICUM
15 Via S. Vitale

1929

3706

MANUSCRIPTI INSTAR

# PRAEFATIO.

*Interpretatio scientifica S. Scripturae maximi est momenti non solum exegetis, quorum utique specialiter interest, sed etiam theologis: omnes enim verum sensum S. Scripturae investigare tenentur, exegetae quidem ut scopum suorum laborum; theologi vero ut principium unde exordiri debent, habito respectu ad alterum Revelationis fontem Divinam scilicet Traditionem, theologicae conclusiones eorum.*

*Communis hermeneuticae utilitas fecit ut multi Patres ac Theologi, sive ex professo sive etiam incidentaliter principia hermeneuticae biblicae enuntiarent. Sufficit recolere nomina* ORIGENIS, TYCHONII *et praecipue* S. AUGUSTINI, *qui suis operibus iam ante finem saec. IV, materiam nostram magnifice illustrarunt.*

*Decursu temporis biblica hermeneutica plures habuit cultores, et sicut omnes scientificae quaestione magis magisque evoluta est. Hinc inter varios Doctores non parvae deprehenduntur differentiae, immo cum agatur de hermeneutica Iudaeorum vel Haereticorum plura sunt quae a viro Catholico admitti nequeunt.*

*Scopus huius nostrae opellae non est haec omnia singillatim pertractare, sed valde modestior: intendimus enim solum breviter recolere principia catholica hermeneuticae biblicae. Hinc ad doctrinas Iudaeorum vel Haereticorum non nisi incidentaliter referimus, praecipue ut ex oppositis catholica doctrina melius illustretur. Similiter plures quaestiones, quae melius alibi tractantur, ut quaestio* de extensione inspirationis *et* de veritate S. Scripturae, *quae-*

*stiones* de critica textuali *etc... vel penitus omisimus vel leviter tantum tetigimus. De heuristica rationali agendo subtiliores investigationes quae rarius in praxim reducuntur omisimus, et potius regulas maioris utilitatis recensuimus. Uno verbo tractatus hic illa praecipua hermeneuticae Catholicae principia tradit quae ab auditoribus nostris, Sacrae Theologiae alumnis, cognosci atque uti possunt ac debent. Hinc fusiori calamo scripsimus de sensuum biblicorum theoria et de heuristica catholica.*

*Scribebam Romae in Instituto nostro «Angelico» die 7 m. Iunii a. 1929 SS. Cordi Iesu sacro.*

fr. SERAPHINUS M. ZARB, O. P.

# PROLEGOMENA

**1. Definitio ac divisio tractatus.** *Hermeneutica*, ars scilicet vel scientia, derivatur a graeco verbo ἑρμηνεύειν = *interpretari*. Hermeneutica ergo illa est disciplina, quae regulas tradit quibus verus sensus alicuius scripti erui potest, atque apte aliis exponi.

Ambitus huius disciplinae optime expressit S. AUGUSTINUS, *De Doctr. Christ.*, I, 1 (PL; XXXIV, 19), cum scriberet: «Duae res sunt quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus *inveniendi* quae intelligenda sunt, et modus *proferendi* quae intellecta sunt». Hinc duae sunt partes huius disciplinae prior scilicet agit de vero sensu alicuius scripti inveniendo et vocatur *Heuristica*, a graeco verbo εὑρίσκειν = *invenire* altera vero agit de sensu invento bene proponendo et nominatur *Prophoristica*, a verbo προφέρειν = *proferre*.

Tractatio nostra versatur circa scripta aliqua quae humanam industriam excedunt, habentque praeter sensum naturalem humanum, alium sensum altioris ordinis. His ergo duobus partibus praemitti debet tertia pars, quae de theoria sensuum s. scripturarum agit, atque nomine *Noematica*, a graeco nomine νοήμα = *mens, cogitatio*, designatur.

Sunt ergo tres partes huius tractatus, quarum ulteriores subdivisiones suo loco notantur, videlicet:

I. *Noematica* seu theoria de S. Scripturae sensibus.

II. *Heuristica* seu disciplina regulas tradens ad sensum S. Scripturae inveniendum.

III. *Prophoristica* seu disciplina cuius ope sensus inventus, convenienter exponitur.

# CAPUT I

## DE SENSIBUS S. SCRIPTURAE
(NOEMATICA)

**2. Difficultas quaestionis eiusque partitio.** — Duae in hac materia sunt difficultates praecipuae: una, rei intrinseca, sistit in recta sensus biblici analysi, quae diversos sacrae Scripturae sensus ita recenset, ut verum ac biblicum sensum, a falso et supposititio bene distinguat, atque rectum variorum sensuum usum ab ipsis Apostolis factum non laedat. Altera rei extrinseca provenit a terminologia qua sensus nominantur. Apud Patres enim et Theologos idem nomen varios sensus immo oppositos quandoque indicat; quandoque vero varia nomina pro eodem sensu significando usurpantur. Ita sensus *allegoricus* apud quosdam significat sensum *spiritualem*, apud alios vero sensum *litteralem figuratum*. E contra sensus *typicus, mysticus, figuratus* etc. non raro pro uno sensu *spirituali* adhibentur. Hinc necessitas bonae divisionis sensuum atque accuratae terminorum electionis pro variis sensibus indicandis.

Quaestionem hanc in tres dividimus articulos:

Art. I. Variae sensus biblici divisiones.

Art. II. De sensu litterali.

Art. III. De sensu spirituali.

### ART. I — VARIAE SENSUS BIBLICI DIVISIONES

**3. Sensus notio.** — Sensus hic sumitur metaphorice pro actu sentiendi intellectuali et non corporali, est ergo idem ac mentis conceptio. Hinc QUINTILIANUS scribit: «Consuetudo iam

tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus» (1). *Sensus* ergo sedulo distinguendus est a *significatione* quae ex hominum instituto voci inhaeret ad rem aliquam indicandam. Sit pro exemplo vox «spiritus». Haec vox plures habere potest significationes, e. gr. *ventum, animam, substantiam spiritualem* etc... sed quando dicitur: «Aperui os meum et attraxi *spiritum*» (Ps. CXVIII, 131); vel: «Et exultavit *spiritus* meus in Deo salutari meo» (Luc. I, 47); vel: «*spiritus* est Deus» (Io. IV, 24), eadem vox «spiritus» in variis sumitur *significationibus*, seu potius variae vocis «spiritus» *significationes*, in contexta oratione ad unum reducuntur *sensum*.

**4. Sensus scripturistici.** — Sensus est mentis conceptus quem aliquis verbis sive ore prolatis sive scriptis exprimit. Sensus ergo in verbis continetur et sub ipsis latet. Talis sensus in omnibus invenitur scriptis. Datur praeterea alter sensus, peculiaris sacrorum librorum et Dei proprius, quo scilicet ipsae res verbis significatae iterum alias res significant. Prior sensus vocatur *litteralis*, posterior vero *spiritualis*. Audiatur S. THOMAS: «Spiritualis sensus sacrae Scripturae accipitur ex hoc quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod eius solius est qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est. Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suae providentiae subiectarum. Significare autem aliquid per verba vel per similitudines fictas ad significandum tantum ordinatas, non facit nisi sensum litteralem, ut ex dictis patet. Unde in nulla scientia, humana industria inventa, proprie loquendo, potest inveniri nisi litteralis sensus: sed solum in ista Scriptura, cuius Spiritus sanctus est auctor, homo

(1) QUINTILIANUS, Inst. Oratoriae, lib. VIII, V, 2. Ed. Teub. Lipsiae 1889. Vol. II, p. 70.

vero instrumentum » (1). In sacra Scriptura ideo non solum habetur sensus litteralis, sed etiam sensus spiritualis.

**5. Sensus scripturistici divisiones.** — Apud Patres et Theologos tres sunt praecipuae sensus biblici divisiones.

α) *Triplex sensus biblici divisio.* Haec fuit communis sensus biblici divisio in Schola Alexandrina. Ita S. CLEMENS scribit: « Tribus autem modis legis sententia est nobis accipienda: ut quae signum aliquod repraesentet, vel praeceptum constituat ad rectam vitae institutionem, vel tanquam prophetia futura praedicat » (2). Tricotomiam sensus biblici fusiori calamo evolvit ORIGENES. « Sicut ergo homo, scribit ipse, constare dicitur ex corpore, et anima, et spiritu; ita etiam sancta Scriptura quae ad hominum salutem divina largitione concessa est » (3). Et alio loco: « Sicut ergo cognationem sui ad invicem gerunt visibilia et invisibilia, terra et coelum, anima et caro, corpus et spiritus, et ex horum coniunctionibus constat hic mundus; ita etiam sanctam Scripturam credendum est ex visibilibus et invisibilibus constare: veluti ex *corpore* quodam, litterae scilicet quae videtur; et *anima,* sensus qui intra ipsam deprehenditur; et *spiritu,* secundum id quod etiam quaedam in se coelestia teneat, ut Apostolus dicit, quia *exemplari et umbrae deserviunt coelestium* (Hebr. VIII, 5). Quia ergo haec ita se habent, invocantes Deum, qui fecit Scripturae *animam,* et *corpus,* et *spiritum*: *corpus* quidem iis qui ante nos fuerunt, *animam* vero nobis, *spiritum* autem iis qui in futuro haereditatem vitae aeternae consequentur, per quam perveniant ad regna coelestia » (4).

(1) S. THOMAS, *Quodlibetum* VII, art. XVI.

(2) S. CLEMENS ALEX., *Stromata,* I, c. 28 (PG, VIII, 926).

(3) ORIGENES, *De Principiis,* IV, n. 11 (PG, XI, 363-366).

(4) ORIGENES, in *Leviticum,* Hom. V, n. 1 (PG, XII, 447 s.). In opere *De principiis,* IV, 11 (PG, XI, 363) scribit pariter: « Verum, ut dicere coeperamus, viam quae nobis videtur recta esse ad intelligendas Scripturas et *sensum* earum requirendum, huiusmodi esse arbitramur, sicut ab ipsa nihilominus Scriptura, qualiter de ea sentiri debeat, docemur. Apud Salomonem invenimus in Proverbiis

E schola Alexandrina triplex sensus biblici divisio apud Patres Occidentales et apud medii aevi Theologos transivit. Ita S. HIERONYMUS scribit: « Triplex in corde nostro descriptio et regula Scripturarum est. Prima ut intellegamus eas iuxta *historiam*, secunda iuxta *tropologiam*, tertia iuxta *intellegentiam spiritualem*. In *historia* eorum quae scripta sunt, ordo servatur. In *tropologia* de littera ad maiora consurgimus, et quidquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta *moralem* interpretamur locum, et ad animae nostrae emolumenta convertimus. In *spirituali* θεωρίᾳ ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine et coelestibus disputamus » (1). Item S. GREGORIUS MAGNUS: « Primum quidem fundamenta *historiae* ponimus, deinde per significationem *typicam* in arcem fidei fabricam mentis erigimus; ad extremum quoque per *moralitatis gratiam* quasi superducto aedificium colore vestimus » (2).

Quidam ex medii aevi Theologis hanc triplicem sensus divisionem secuti sunt. Ita ANGELOMUS O. S. B. (saec. IX) notat: « In quibusdam locis veritatem videlicet *historiae* semper pandens, *spiritalem moralemque* intellegentiam inserere nixi sumus; inibi scilicet ubi praedixisti ut *historia* veritatem factorum, ac

---

[XXII, 20, 21] tale aliquid de divinae Scripturae observantia praecipi: « Et tu, inquit, describe tibi haec tripliciter in consilio et scientia, et ut respondeas verba veritatis his qui proposuerint tibi ». Tripliciter ergo describere oportet in anima sua unumquemque divinarum intelligentiam litterarum, id est ut simpliciores quique aedificentur ab ipso, ut ita dixerim, *corpore* Scripturarum; sic enim appellamus communem istum et historialem intellectum; si qui vero aliquantum iam proficere coeperunt, et possunt amplius aliquid intueri, ab ipsa Scripturae *anima* aedificentur; qui vero perfecti sunt, et similes his de quibus Apostolus dicit: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius mundi, neque principium huius saeculi qui destruentur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram » [1 Cor. II, 6-7], hi tales ab ipsa *spiritali* lege quae umbram habet futurorum bonorum, tanquam a *spiritu* aedificentur ».

(1) S. HIERONYMUS, Epist. CXX (al. CL) *ad Hedibiam, XII* (PL, XXII, 1005).

(2) S. GREGORIUS MAGNUS, *Epist. ad Leandrum*, n. 4 (PL, LXXV, 514).

fidem relationis inculcet; et *spiritalis* intellegentia ad coelestium figurarum secreta perducat, et *moralis* persuasio ad melioration-em vitae invitet; ne solummodo *historia* pressus, sed *spiritalis*, immo *moralisque* dulcedine captus lector, excusationis invenire possit anfractus » (1). Item HUGO A S. VICTORE († 1141): « secundum triplicem intelligentiam exponitur sacrum eloquium. Prima expositio est *historica*, in qua consideratur prima verborum significatio ad res ipsas de quibus agitur... secunda expositio est *allegorica*. Est autem *allegoria*, cum per id quod ex littera significatum proponitur, aliud aliquid sive in praeterito sive in praesenti sive in futuro factum significatur. Dicitur *allegoria* quasi *alieniloquium*, quia aliud dicitur et aliud significatur, quae subdividitur in *simplicem allegoriam* et *anagogen*. Et est *simplex allegoria*, cum per visibile factum aliud invisibile factum significatur. *Anagoge* id est *sursum ductio*, cum per visibile invisibile factum declaratur » (2). Similiter PETRUS COMMESTOR († 1198), qui vocat S. Scripturam Dei coenaculum, ubi Deus suos inebriat: « Coenaculi huius tres sunt partes: fundamentum, paries, tectum. *Historia* fundamentum est... *Allegoria* paries superinnitens, quae per factum aliud factum figurat. *Tropologia*, doma culmini superpositum, quae per id quod factum est quid a nobis sit faciendum insinuat... » (3)

β) *Quadruplex sensus biblici divisio.* Haec divisio in textu aliquo S. AUGUSTINI fundatur, cuius hic est tenor: « In libris autem omnibus sanctis intueri oportet quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrantur, quae futura praenuntiantur, quae agenda praecipiantur vel moneantur » (4). S. BEDA scribit:

(1) ANGELOMUS O. S. B., *Comm. in Genesim*, Praef. (PL, CXV, 110).

(2) HUGO A S. VICTORE, *De scripturis et scriptoribus sacris*, c. 3 (PL, CLXXV, 11 s.).

(3) PETRUS COMMESTOR, *Historia Scholastica Theologiae disciplinae*, initio (PL, CXCVIII, 1053-1054).

(4) S. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, I, c. 1 (PL, XXXIV, 247). Doctor Hipponensis alteram divisionem sensus biblici, pariter quadruplicem, bis tradit,

« Quattuor autem pedes habet mensa [tabernaculi]; quia quadriformi ratione omnis divinorum eloquiorum series distinguitur ». Et interiectis AUGUSTINI verbis iamiam allatis prosequitur: « Item mensa tabernaculi quattuor habet pedes; quia verbo coelestis oraculi, vel *historico* intellectu, vel *allegorico*, vel *tropologico*, id est, *morali*, vel certe *angogico* solent accipi. *Historia* namque est, cum res aliqua quomodo secundum litteram facta sive dicta sit, plano sermone refertur... *Allegoria* est, cum verbis, sive rebus mysticis praesentia Christi et Ecclesiae sacramenta signantur... *Tropologia* id est *moralis locutio*, ad institutionem et correptionem morum, sive apertis seu figuratis prolata sermonibus respicit... *Anagogae*, id est, ad superiora ducens, locutio est, quae de praemiis futuris, et ea quae in coelis est vita futura, sive mysticis seu apertis sermonibus disputat... » (1). S. THOMAS eamdem sequitur divisionem allatis verbis AUGUSTINI et BEDAE prosequitur: « Distinctio istorum quattuor sensuum hoc modo accipi debet. Sicut enim dictum est sacra Scriptura veritatem quam tradit, dupliciter manifestat; per verba, et per rerum figuras. Manifestatio autem quae est per verba, facit sensum *historicum* sive *litteralem;* unde totum id ad sensum *litteralem* pertinet quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur. Sed sensus *spiritualis*, ut dictum est, accipitur vel consistit in hoc quod quaedam res per figuram aliarum rerum exprimuntur, quia visibilia solent esse figurae invisibilium, ut DIONYSIUS (2) dicit. Inde est quod sensus iste qui ex figuris accipitur, *spiritualis* vocatur. Veritas autem quam sacra Scriptura per figuras rerum tradit, ad duo ordinatur: scilicet ad recte credendum, et ad recte operandum. Si ad recte operandum; sic est sen-

---

nempe *De Utilitate credendi;* PL, XLII, 68-69; et *De Genesi ad litteram imperf. liber*, c. 2; PL, XXXIV, 222. In posteriori definitione recensentur tres sensus litterales et unus spiritualis (cf. S. THOMAM, *Sum. Theol.*, I, qu. I, art. X ad 2), in priori vero sunt tres sensus spirituales et unus litteralis.

(1) S. BEDA, *De Tabernaculo et vasis eius*, c. 6 (PL, XCI, 410).

(2) DIONYSIUS, Eccl. Hier., c. V. par. 1 (PG, V, 502).

sus *moralis*, qui alio nomine *tropologicus* dicitur. Si autem ad recte credendum, oportet distinguere secundum ordinem credibilium; ut enim DIONYSIUS (1) dicit, status Ecclesiae medius est inter statum synagogae, et statum Ecclesiae triumphantis. Vetus ergo Testamentum figura fuit Novi: Vetus simul et Novum figura sunt coelestium. Sensus ergo *spiritualis*, ordinatus ad recte credendum, potest fundari in illo modo figurationis quo Vetus Testamentum figurat Novum: et sic est *allegoricus* sensus vel *typicus*, secundum quod ea quae in Veteri Testamento contigerunt, exponuntur de Christo et Ecclesia; vel potest fundari in illo modo figurationis quo Novum simul et Vetus significant Ecclesiam triumphantem, et sic est sensus *anagogicus* » (2).

Quadruplex sensus biblici divisio communis evasit apud medii aevi Theologos eamque explicite tradunt HILDEBERTUS CENOMANUS († 1134) (3), ALEX. HALENSIS († 1245) (4), B. ALBERTUS MAGNUS († 1280) (5), S. BONAVENTURA († 1274) (6), DUNS SCOTUS († 1308) (7), NICOLAUS LYRANUS (1320) (8), IOANNES BALBI (1286) (9).

Discipuli S. Thomae quadruplicem sensus divisionem semper docuerunt. Ita AUGUSTINUS DE DACIA († 1283) scribit: « Haec scientia quattuor modis exponitur secundum quattuor sensus, scilicet unum litteralem et tres spirituales, scilicet *allegoricum, tropologicum* seu *moralem* et *anagogicum*. Verbi gratia Ie-

(1) DIONYSIUS, *De coelesti Hierarchia*, c. IV.

(2) S. THOMAS, *Quodlibetum* VII, art. XV. Cf. *Sum. Theol.*, I, qu. I. art. X; *Comm. Ep. ad Galatas*, cap. IV, lect. VII.

(3) HILDEBERTUS CENOMANUS, Sermo CXII, *De variis animae agressibus ut ad Deum perveniat*, (PL, CLXXI, 862).

(4) ALEXANDER HALENSIS, *Summa*, qu. I, membr. 2, art. IV.

(5) B. ALBERTUS MAGNUS, *Sum. Theol.*, I, tract. I, quaes. V, membr. IV.

(6) S. BONAVENTURA, Sermo XIII in *Hexaemeron*.

(7) DUNS SCOTUS, *Comm. in libr. I Sent.*, qu. III.

(8) NICOLAUS LYRANUS, Prol. I in *Postilla in Univ. Biblia* (vide PL, 113, 28)

(9) IOANNES BALBI, *Catholicon*. Cfr. BERGER S., *La Bible au seizième siècle*, Paris 1879, p. 26 s.

rusalem secundum sensum *litteralem* est quaedam civitas in Iudaea. Et hoc signatum sive haec civitas secundum sensum *allegoricum* significat ecclesiam militatem, secundum sensum *tropologicum* sive *moralem* significat animam fidelem et eius operationem, secundum sensum *anagogicum* significat ecclesiam triumphantem. Et si qui alii eius sensus inveniuntur sub aliquo istorum comprehenduntur ut *parabolicus*, qui frequens est in evangeliis, sub *litterali* et similiter *metaphoricus*. Et sciendum est quod in omnibus sermonibus *parabolicis* et *metaphoricis* non sensus est *litteralis* quem littera prima facie praetendit sed ille quem intendit auctor, alioquin esset aliqua falsitas in sacra scriptura, quod nefas est dicere. Ut cum dicitur deum habere manum vel pedem et similia, metaphora est et significat per hoc secundum sensum *litteralem* quod potens est deus omnia operari et omnia penetrare. Dictos autem quattuor sensus his versibus comprehendo:

Littera gesta docet, quid credas allegoria
Moralis quid agas, quid speras anagogia » (1).

γ) *Duplex sensus biblici divisio.* Recentiores communiter ambas praecedentes divisiones ad duas reducunt, litteralem scilicet et spiritualem. Revera enim sensus moralis quando non est litteralis videtur esse potius accomodatio seu exemplum ad doctrinam moralem illustrandam. Sensus vero allegoricus et anagogicus non distinguuntur secundum rationem formalem significandi, sed secundum rem significatam quatenus unus Christum eiusque opus, alter futuram gloriam praefigurant. Hinc ipse S. Thomas dicit: « Sicut sensus allegoricus pertinet ad Christum, secundum quod est caput Ecclesiae militantis, iustificans eam et gratiam infundens; ita et sensus anagogicus pertinet ad eum se-

(1) Augustinus de Dacia O. P. *Rotulus pugillaris*, editus a P. Walz A., O. P., in *Angelicum* VI (1929), p. 256. Hic famosus distichus legitur etiam apud Io. Balbi et Nicolaum Lyranum, *ll. cc.*, cum tamen Augustinus de Dacia utrumque praecessisset et in prima persona loquatur videtur esse primus huius distichi auctor.

cundum quod est caput Ecclesiae triumphantis, glorificans eam» (1).

Hinc saepe Patres duplicem sensus biblici divisionem recolunt, subtilioribus distinctionibus sensus spiritualis omissis. Ita Origenes dicit: «Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria carne vestitum processit in hunc mundum, et aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur (carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis vero et electis dabatur divinitatis agnitio); ita et cum per prophetas vel legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic *litterae* velamine tegitur: ut *littera* quidem aspiciatur tanquam caro, latens vero intrinsecus *spiritalis* sensus tanquam divinitas sentiatur» (2). Et in alio loco. «Propositum enim illis [Evangelistis] erat vera narrare, et spiritualiter et corporaliter, ubi liceret; ubi autem non contingebat utrumque, rem praeferre spiritualem rei corporeae, servata saepe veritate spirituali in corporali, ut aliquis diceret, mendacio» (3).

Tandem divisiones Patrum faciliter ad duplicem divisionem sensus in litteralem et spiritualem reduci possunt. Praeter duos hos sensus enim alii qui recensentur vel sunt accuratiores determinationes unius vel alterius sensus, vel sunt sensus accomodati.

De duobus ergo sensibus, litterali scilicet et spirituali est nunc in particulari agendum.

## Art. II — De sensu litterali

**6. Sensus litteralis notio ac divisio.** Sensus litteralis ita vocatur quia immediate ab ipsa *littera* derivatur; hinc dicitur etiam *grammaticalis*, quia non aliter explicari debet quam sermo ordi-

(1) S. Thomas, *Quodlibetum* VII, art. XV, ad 4.

(2) Origenes, *in Leviticum*, Hom. I, n. 1 (PG, XII, 405).

(3) Origenes, *in Ioannem*, Hom. X, n. 4 (PG, XIV, 314).

narius, communibus grammaticae regulis concinnatus; *logicus*, eadem ratione, quia non secus ac contextus indicat, secundum leges rationis est exponendus; *historicus*, non quidem stricte quatenus significat rerum gestarum narrationem, secus sensus moralis, propheticus etc.... non possent esse litterales; sed late quatenus indicat sensum directum atque immediatum verborum. Patres Graeci similibus vocibus utuntur ad hunc sensum indicandum, e. gr. κατὰ τὸ γράμμα, κατὰ τὴν ῥῆσιν, κατὰ τὴν ἱστορίαν. Hinc definitur a S. Thoma his verbis: « Illa prima significatio, qua voces significant res pertinet ad primum sensum qui est sensus *historicus* vel *litteralis* » (1)

Sensus litteralis varias habet subdivisiones:

α) Dividitur primo secundum varia *litterarum genera*: nempe in *prosaicum* et *poeticum*, quatenus vel soluta oratione vel versibus adstricta componitur.

Genus *prosaicum* invenitur in sacris libris et quidem secundum varias species: scilicet genus *epistulare, dialogi, tractatus, historicum, oratorium*, immo secundum aliquos habentur etiam *narrationes specietenus historicae* (romanzo, novella) (2).

(1) S. Thomas, *Sum. Theol.*, I, qu. I, art. X. Item in *Quodl.* VII, art. XV: « Manifestatio quae est per verba facit sensum *historicum* sive *litteralem* unde totum id ad sensum *litteralem* pertinet quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur ».

(2) De istis narrationibus haec sapienter notat cl. P. Vosté I., O. P., *De Scripturarum veritate iuxta recentiora Ecclesiae documenta*, Romae 1924, § III, p. 13: « Abstracte quidem quaestio de narrationibus aut libris specie tantum historicis nullam difficultatum prae se fert; concrete vero maiorem haesitationem parit. Nam, prout omnes concedunt, nullum genus litterarium (aliunde dignum) repugnat inspirationi biblicae: cum in Scriptura, secundum S. Thomam, divina tradantur nobis per modum quo homines solent uti. Ipse Iesus, more Rabbinorum temporis illius, proposuit altissimam suam doctrinam in parabolis seu fabulis, quae non sunt aliud quam *historiae fictae*. Itaque sicut parabolae evangelicae, ita etiam quaedam longiores historiae V. T. *possent* esse fictae seu specie tantum historicae. Secundum nonnullos exegetas, etiam catholicos, in uno aliove ex libris Iob, Tobiae, Iudith, Esther vel Ionae, sub velamine historico-litterario conteneretur

Similiter *genus poeticum* habetur secundum varias species: nempe, poesis *lyrica* frequentissime ut in Psalterio, in Lamentationibus Ieremiae, etc... poesis *didascalica,* ut in libris sapientialibus; poesis *drammatica,* ut in libro Iob, Cantico Canticorum, et in quibusdam psalmis, ut Psalmus II. Poesis *epica* non habetur in sacra Scriptura.

β) Dividitur sensus litteralis etiam secundum verborum *significationem.* Dicit enim S. THOMAS: « Per litteralem sensum potest aliquid significari dupliciter: scilicet secundum *proprietatem locutionis,* sicut cum dico: homo ridet; vel secundum *similitudinem* seu *metaphoram,* sicut cum dico: pratum ridet. Utroque modo utimur in Scriptura, sicut cum dicimus quantum ad primum, quod Iesus ascendit; et cum dicimus, quod sedet a dextris Dei, quantum ad secundum. Et ideo sub sensu litterali includitur *parabolicus* seu *metaphoricus* » (1).

Sensus ergo litteralis dicitur *proprius,* si verba secundum propriam significationem usurpantur; dicitur *improprius, metaphoricus* seu *figuratus* si verba sumuntur non secundum suam nativam significationem sed secundum significationem derivatam ex similitudine cum nativa significatione.

---

doctrina altior *formaliter* inculcanda. Attamen etiam in his quaestionibus, quae mere litterariae reputantur, magna commendatur nobis prudentia, ne videamur intra arctiores limites coangustare veritatem librorum sacrorum; ac in specie quoad citatos libros, arbitrarie nostro iudicio negaretur quodvis historicum substratum: historicus enim character a priori possidet, usque dum validis argumentis probetur character fictitius vel parabolicus ».

(1) S. THOMAS, *Comm. in Epist. ad Gal.,* c. IV, lect. VII. Item in *Sum. Theol.,* I, qu. I, art. X ad 3: « Sensus *parabolicus* sub litterali continetur; nam per voces significatur aliquid *proprie,* et aliquid *figurative.* Nec est litteralis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium est litteralis sensus quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa ».

Similitudo seu figura rhetorica est duplicis generis: vel eni unum aliudve verbum sumitur in sensu figurato, vel tota oratio (1

Similitudo singulorum verborum multiplex esse potest:

1° *Metaphora,* a graeco μεταφέρειν = *transferre,* defir tur a S. AUGUSTINO: « De re propria ad rem non propriam ver alicuius usurpata translatio » (2). Ita Ps. II, 4:: « Qui habitat i coelis *irridebit* eos ». Metaphora adhibetur aut suavitatis aut in piae causa (3). In altero casu vocatur *Catachresis* (κατάχρησι ut cum dicimus: « pedes montis ».

2° *Synecdoche,* a graeco συνεκδέχομαι = *simul compr hendo,* definitur a CICERONE: « Cum intellegi volumus aliquid a ex parte totum, ut pro aedificiis cum parietes aut tecta dicimu ex toto partem » (4). Ita S. Ioannes dicit: « Et Verbum *caro* fa ctum est » (Io. I, 14).

*Synecdoche* pluribus modis fieri potest: nempe si totum pr parte, genus pro specie, pluralis numerus pro singulari, materi pro re ab ipsa formata vel e contrario usurpatur.

3° *Metonymia,* a graeco μετονομάζω = *aliter nomino,* d finitur a QUINTILIANO « nominis pro nomine positio » (5). It Ps. XXXIV, 2: « Apprehenda *arma* et *scutum* et exurge in adiu torium mihi » i. e. exurge et pugna pro me.

*Metonymia* vario modo potest adhiberi, ut si quis usurpa causam pro effectu, auctorem pro re ab ipso facta, possessore pro re ab ipso possessa, abstractum pro concreto, signum pr signato, continens pro re contenta, tempus pro persona illo tem pore exsistente, instrumentum pro arte cui inservit etc....

4° *Antonomasia,* a graeco ἀντονομάζω = *alio nomine de*

(1) Cf. P. HÖPFL H., O. S. B., *Tractatus de Inspiratione S. Scrip. et Comp Hermeneut. Bibl.* ², Romae 1929, p. 110-122.

(2) S. AUGUSTINUS, *Contra mendacium,* c. X, n. 24 (PL, XL, 533).

(3) Ita CICERO, *Orator,* III. 92 dicit: « Translata ea dico, quae per similitu dinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur ».
ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur ».

(4) CICERO, *ibid.,* III, 42.

(5) QUINTILIANUS, *Institutiones oratoriae,* VIII, 6, 23.

*signo,* habetur quando persona vel res indicatur nomine aliquo quod ei soli convenit, ut *Baptista* vel *Praecursor Domini* pro S. Ioanne.

Potest etiam diversis modis exprimi *antonomasia,* ut si magni viri designentur nomine patriae vel avi vel alius personae eiusdem celebritatis; item si auctores nomine designentur operis sui bene noti etc....

Oratio vero figurata potest etiam multipliciter fieri:

1° *Allegoria,* a graeco ἄλλος ἀγορεύω = *aliter loqui* (quam debet intellegi) describitur a CICERONE: « Cum confluxerunt plures continuae translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Graeci appellant ἀλληγορίαν (1). *Allegoria* ergo est locutio continua figurata et frequenter invenitur apud S. IOANNEM: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum etc... » (Io. XV, 1-2) (2).

2° *Parabola,* a graeco παραβάλλω = *con-icio, confero,* est explicita comparatio duarum rerum vel statuum, frequens apud Synopticos, ut: « Simile factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo etc... » (Mt. XIII, 24).

3° *Ironia,* graece εἰρωνεία, est locutio figurata, cuius verba ex circumstantiis contrarium illius quod naturaliter indicant, significant. Ita Gen. III, 22: « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum! ».

4° *Aenigma,* a graeco αἰνίσσομαι = *obscure loquor,* est figurata locutio cuius tamen comparationis medium studiose investigari debet. Ita Iud. XIV, 14: « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo ».

(1) CICERO, *Orator,* III, 94.

(2) Sedulo est hic notanda differentia quae invenitur apud Patres et Theologos ex una parte et apud auctores classicos, Patres scholae antiochenae et recentiores exegetas ex altera parte. Primi enim per *allegoriam* et sensum *allegoricum* intellegunt sensum *spiritualem;* alteri vero intellegunt sensum *litteralem improprium.*

5° *Fabula* seu *apologus* est narratio ficta in qua animalia vel res inanimatae loquentes inducuntur ut veritas aliqua vividius inculcetur. Ita Iud. IX, 8-15: « Ierunt ligna, ut ungerent super se regem, dixeruntque olivae: Impera nobis etc... » Item 2 Reg. XIV, 9 (=2 Par. XXV, 18): « Carduus Libani misit ad cedrum quae est in Libano dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem etc... ».

6° *Hyperboles*, a graeco ὑπερβάλλω = excedo quando aliquid exaggeratur, dum e contexta oratione moderatiori modo intellegi debet. Ita Io. XXI, 25: « Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros ».

7° *Reticentia*, graece ἔκλειψις vel ἀποσιώπησις quando aliquid tacetur quod ex contexta oratione faciliter suppleri potest. Hic accedit etiam anacoluthon, ἀνακόλουθον quando sententia caret completione logica.

8° *Paraphrasis* seu *circumlocutio* habetur quando res suo proprio nomine non designantur sed circulo verborum; haec fieri potest etiam quoad singula verba (εὐφημία): sicut saepe in N. T. εὐώνυμος i. e. *boni nominis* dicitur pro « sinister » Mt. XX, 23; XXV, 33, 41...

Ad sensum *litteralem impoprium* reducitur *symbolum*, a graeco συμβάλλω = *confero, comparo*, quod est res vel actio, qua aliquid significatur vel repraesentatur. Sic Ier. XIII, 1: « Vade et posside tibi lumbare lineum, et pones illud super lumbos tuos etc... » Hinc sensus *symbolicus* distinguitur ab aliis figuris (in specie ab allegoria, parabola, fabula) quatenus est res vel actio realis ordinata ad aliud significandum, sic dantur *actiones* symbolicae ut cum Ahias scidit pallium suum in signum scissionis regni Salomonis (1 Reg. XI, 29-39); *visiones* symbolicae, ut visio Petri de animalibus mundis et immundis in signum abrogationis Legis (Act. X, 10-16); *res* symbolicae ut fimbriae et phylacteria (Num. XV, 38-40; Mt. XXIII, 5) quae mandata Dei significabant; *nomina* symbolica ut nomina filiorum Isaiae (Is. VII, 3; VIII, 3)

et Osee (Os. I, 4, 6, 9); tandem *numeri* symbolici ut numerus quattuordecim in genealogia S. Matthaei (1).

Aliae figurae litterariae ut emphasis etc... faciliter in libris de arte rhetorica inveniri possunt, hic locuti sumus de his quae frequentius occurrunt. Jure merito ergo scribit S. Augustinus: « Sciant autem litterati nostri modis omnibus locutionis, quos grammatici graeco nomine *tropos* vocant, auctores nostros usos fuisse et multiplicius atque copiosius quam possunt existimare vel credere, qui nesciunt eos et in aliis ista didicerunt » (2).

γ) Tandem dividitur sensus litteralis secundum *ubertatem sensus*. Dicit enim S. Thomas: « Qui dicit unum, quodammodo dicit multa, scilicet in potentia, secundum quod conclusiones sunt potentia in principiis, ex uno enim principio multae conclusiones sequuntur » (3).

Sic ergo sensus litteralis dividitur in sensum *explicitum, implicitum, consequentem* atque *accomodatum*.

Sensus litteralis *explicitus* ille est qui immediate resultat ex verbis s. scripturae: « Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum coelorum » (Mt. V, 3).

Sensus litteralis *implicitus* quando in sensu explicito aliquid comprehenditur, sic. Act. I, 4: « Et *convescens* praecepit eis etc.., » Ergo Christus resurrexit in corpore reali.

Sensus litteralis *consequens* quando per ratiocinium aliquid deducitur ex sensu explicito S. Scripturae. Sic cum Christus dixit Apostolis: « Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo » (Mt. XVIII, 18) dedit eis potestatem remittendi vel retinendi peccata. Hoc autem fieri nequit sine conscientiae manifestatione. Ergo manifestatio conscientiae est sensus consequens ex allatis Christi verbis.

(1) Cf. Buzy D., *Les symboles de l'A. T.*, Paris 1923.

(2) S. Augustinus, *De Doctr. Christ.*, III, c. 29 (PL, XXXIV, 80).

(3) S. Thomas, *Quodl.* VII, art. XVI, ad 3.

Sensus *accomodatus* vel *accomodatitius* habetur quando S. Scriptura exponitur de aliqua re vel persona quas auctor non intendebat; ut si quis aliquem sanctum laudans applicat ei verba S. Ioannis: « Fuit homo missus a Dio » (Io. I, 6).

Ad ubertatem sensus pertinet etiam alia divisio in sensum *obiectivum* et *subiectivum*.

Sensus *obiectivus* est ille quem auctor verborum intendit: sic Gen. I, 1: « In principio creavit Deus coelum et terram » i. e. quando Deus creare coepit primo creavit etc...

Sensus *subiectivus* habetur quando alii sensus litterales praeter obiectivum sunt possibiles sed ab auctore non intenti: sic idem locus Genesis a quibusdam Patribus explicatur: in Filio, qui apud Ioannem (VIII, 25) principium se vocat, creavit Deus etc... (1). Ita Angelicus scribit: « In sacra Scriptura praeter principalem sensum quem Auctor intendit, possunt alii sensus non incongrue aptari. Et sic Hieronymus [qui 1 Cor. III, 12 de haereticorum dogmatibus exponit] per adaptationem quamdam loquitur, et non secundum intentionem Apostoli » (2).

**7. Sensus litteralis apud Patres et theologos.** — Universalitatem sensus litteralis videtur negasse ORIGENES. Ipse enim nimis urgens sensum mysticum sensum litteralem minus curat, immo contumeliosis verbis designat. Scribit enim: « Sed quoniam, si in omnibus indumenti huius, id est historiae legis fuisset consequentia custodita et ordo servatus, habentes continuatum intelligentiae cursum, non utique crederemus esse aliud aliquid in Scripturis sanctis intrinsecus, praeter hoc quod prima fronte indicabatur, inclusum; ista de causa procuravit divina sapientia offendicula quaedam, vel intercapedines intelligentiae fieri historialis; impossibilia quaedam et inconvenientia per medium inserendo; ut interruptio ipsa narrationis velut obicibus quibusdam legenti resistat obiectis, quibus intelligentiae huius vulgaris iter

(1) S. BEDA, *Comm. in Genesim*, c. I (PL, XCI, 190 s.).

(2) S. THOMAS, IV *Sent.*, Dist. XXI, qu. I, art. II, quaestiunc. I ad 3.

ac transitum neget, et exclusos nos ac recussos revocet ad alterius initium viae, ut ita celsioris cuiusdam et eminentioris tramitis per angusti callis ingressum immensam divinae scientiae latitudinem pandat » (1). Et de Lev. VI, 24-30 dicit: « Haec omnia nisi alio sensu accipiamus, quam litterae sensus ostendit, sicut saepe iam diximus, cum in ecclesia recitantur, obstaculum magis et subversionem Christianae religioni, quam hortationem aedificationemque praestabunt » (2). Hinc S. Hieronymus, dicit: « Scripsit in hunc librum Origenes tria volumina; sed historiam omnino non tetigit, et more suo totus in allegoriae interpretatione versatus est » (3).

Plures tamen inter auctores hodiernos ORIGENEM defendunt, quippe qui tam arduis laboribus operam dedit ut sensum litteralem suis Hexaplis certiorem redderet, quod certe non faceret si ita parvipenderet sensum litteralem (4).

Quidquid est de mente ORIGENIS certum est tamen Scholam Alexandrinam sensum allegoricum (spiritualem) exaggerasse. S. CLEMENS ALEX. expresse dicit universam fere Scripturam esse allegorice interpretandam (5).

Haec ceteroquin doctrina scholae Alexandrinae colebatur

(1) ORIGENES, *De Principiis*, IV, n. 15 (PG, XI, 374).

(2) IDEM, *in Leviticum*, Hom. V, n. 1 (PG, XII, 447).

(3) S. HIERONYMUS, *in Michaeam*, Prol. (PL, XXV, 1543).

(4) Cf. *The Dublin Review*, April 1866, Art. IV. — *The Christian Schools of Alexandria. — Origen*, p. 377-412 (praecipue 409-411). PRAT F., S. I., *Origène le théologien et l'exégète*, Paris 1902, 122 ss., Appendix II, *L'herméneutique d'Origène*, p. 174 ss. — P. BONHOMME R., O. P., *Les sens biblique du théologien*, in *Revue Thomiste* XVI (1908), p. 6 s. Contra tamen sentiunt P. CORNELY R., S. I., *Introductio in U. T. libros sacros*², Parisiis 1894, p. 541-543. BARDENHEWER, *Patrologie* 128 s., *Geschichte der altkirchl. Literatur*, II², 156-159.

(5) S. CLEMENS ALEX., *Stromata* V, 6 (PG, IX, 55): « Longum autem fuerit omnia persequi prophetica et legalia, ea afferendo quae dicta sunt per aenigmata; fere enim universa hoc modo oraculo sua effert divina Scriptura ».

etiam a philosophis ethnicis atque a Iudaeis, inter quos PHILO universalitatem sensus litteralis negavit (1).

Contra excessivum allegorismum Scholae Alexandrinae insurrexit Schola Antiochena, quae magis insistebat in sensu grammaticali historico, in quo fundari debet quicumque alius sensus. Hinc in ista schola habetur divisio magis scientifica de sensibus S. Scripturae.

Doctores Antiocheni ut S. IOANNES CHYSOSTOMUS († 407), SEVERIANUS († 408), THEODORUS MOPSEUSTENUS († 428) et sequentes, praeter sensum *litteralem* historicum admittunt etiam sensum aliquem *superiorem*, qui tamen in sensu litterali fundatur (sive sit *directe* messianicus, ut Ps. II, VIII, XLIV et CIX secundum THEODORUM MOPS., sive *typice* tantum messianicus). Praeterea admittunt pariter *allegoriam*, in sensu tamen classico, i. e. ut continuatam metaphoram, et ita pertinet ad sensum litteralem improprium. Sic ergo Doctores Antiocheni admittunt sensum litteralem proprium et improprium seu historicum et metaphoricum, et sensum spirituale directum vel typicum. S. IOANNES CHYRISOSTOMUS, data explicatione litterali Ps. IX, 4, addit: « Quod si aliquid etiam oportet dicere anagogicae, id non est recusandum. Alia enim possunt etiam contemplari: alia vero ita sunt solum intelligenda sicut dicta sunt [sensus litteralis proprius]... alia vero aliter quam habeant dictiones [sensus litteraliter improprius seu allegoria]... alicubi vero et quod scriptum est accipiendum est, et quod ex eo significatur; ut est illud: Sicut serpentem exaltavit Moses [Io. III, 14]. Credendum est enim, hoc factum esse (ut revera factum est) simulque quod eo significatur, in figuram Christi [sensus typice messianicus] » (2).

In Occidente vero non habentur tales Scholae quales florue-

(1) Cf. P. HÖPFL, *op. cit.*, p. 250 s.

(2) S. IOANNES CHRYSOS., *Expositio in Psalmos*, a. l. (PG, LV, 126). Circa doctrinam scholae Antiochenae cf. studium P. VACCARI A., S. I., *La θεωρία nella scuola esegetica di Antiochia*, in *Biblica* I (1920) p. 3-36.

runt in Oriente; habentur solum Doctores qui in scriptis suis unius vel alterius scholae theorias sequuntur. Ita S. HILARIUS († 367) theoriam sequitur alexandrinam. Ipse admittit in tota S. Scriptura characterem propheticum vel praefigurativum totusque est in investigando talem sensum quem nunc *typicam rationem* (*In Matth.* XVII, 8; PL, IX, 1016) nunc *causas interiores* (Ibid., XII, 12), nunc *coelestem* vocat *intellegentiam* (Ibid., XX, 2). Ipse ergo parum vel nihil curat de sensu historico grammaticali. Non minus quam S. HILARIUS floruit in exponendo libros sacros methodo mystico-allegorico S. AMBROSIUS († 397). Ipse sicut ORIGENES triplicem distinguit sensum: *naturalem* quo veritates ordinis naturalis enuntiantur, sensum *mysticum,* fidei veritates continentem et *moralem,* qui regulas morum tradit. In praxi tamen duplicem sensum admittit *litteralem* scilicet et sensum *altiorem.* S. HIERONYMUS, qui praecedentium Patrum opera sedulo examinaverat ex una parte magna cum cura studet sensui historico-grammaticali, ex altera vero textum sacrum modo mystico allegorico exponit non secus ac ipse ORIGENES, ipse non raro super *fundamenta historiae spirituale extruere aedificium* conatur (*Comm. in Is.,* VI, Praef.; PL, XXIV, 211) *historiae Hebraeorum tropologiam nostrorum miscet* (*Comm. in Zach.,* praef.; PL, XXV, 1418) *spiritualis postea intelligentiae vela pandet* (Epist. 64, 19; PL, XXII, 617). S. AUGUSTINUS († 430), qui suo opere *De Doctrina Christiana,* Libr. I-III (PL, XXXIV, 15-122) primus verae hermeneuticae biblicae tractatum completum tradidit insistit super sensum litteralem; in praxi tamen (cf. praecipue *Enarrationes in Psalmos et Tractatus in Evangelium Ioannis*) interpretationi mystico-allegoricae indulget.

Sequentes Patres atque Theologi nunc unam nunc alteram scholam secuti sunt. S. THOMAS praedecessorum suorum sequens exempla plures quidem sensus admittit in S. Scriptura adesse, sed libertatem omnia inveniendi ad libitum in sacris Libris coërcet, et ideo primo statuit universalitatem sensus litteris in S. Scriptura, et super sensum litteralem struit aedificium spiri-

tuale secundum tripicem obiectum, nempe Christum eiusque opus, sensum *allegoricum;* fideles, sensum *tropologicum* seu *moralem;* statum futurae gloriae, sensum *anagogicum.*

In ista divisione habetur verus sensus litteralis valor et robur, sed sensus spiritualis adhuc mixtus apparet cum sensu allegorico, qui de facto saepe non excedit simplicem accomodationem; ita in particulari, semper est dicendum de sensu *spirituali tropologico* et non raro de sensu *anagogico,* immo quandoque etiam de sensus *allegorico.* Huius defectus conscius erat S. Doctor ac propterea prudentem statuit regulam: « Omnes sensus fundantur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum » (1); quam regulam fusiori calamo alibi explicat scribens: « Non est propter defectum auctoritatis quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum; sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus. Una enim res pluribus similes esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate; sed est fallacia consequentis: verbi gratia, leo propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum: unde per hoc quod aliquid de leone dicitur in sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus, in sacra Scriptura argumentando » (2).

Haec S. THOMAE doctrina communis fuit medioaevo et nonnisi recentiores divisionem sensus spiritualis restrinxerunt ad duos sensus litteralem et spiritualem, qui simul comprehendit allegoricum (messianicum) atque anagogicum; relinquentes sensum trapologicum ut simplicem sensum accomodatum.

Naturam et proprietatis sensus litteralis tribus sequentibus paragraphis comprehendimus:

**8. Universalitas sensus litteralis.** Agitur hic de sensu litterali cuiuscumque generis litterarii, de sensu litterali sive proprio sive improprio, et quidem explicito atque obiectivo. Excluditur ergo sensus implicitus, consequens et a fortiori accomodatus.

(1) S. THOMAS, *Sum. Theol.,* I, qu. I, art. X ad 1.

(2) IDEM, *Quodl.* VII, art. XIV, ad 4.

Conclusio sic proposita faciliter probatur sequenti ratiocinio: Quod est proprium alicui rei et in quo fundantur omnia quae ei advenire possunt non potest eidem rei abesse. Atqui omni propropositioni proprius est sensus litteralis, in quo fundantur et a quo procedunt alii sensus sive spirituales sive impliciti vel consequentes. Ergo sensus litteralis est universalis.

Maior per se patet proprietas enim ab essentia rei est inseparabilis. Minor vero explicatur. Verba et propositiones nobis inserviunt ad conceptus nostros exterius manifestandos, quod ideo fieri potest quia verba ex hominum instituto habent ut aliquid determinate significent. Haec ergo significatio est eis propria; hoc idem est dicendum latiori modo pro propositionibus. Ergo verba et propositiones habet semper immediatam significationem a qua praescindere non possumus, etiamsi expressio sit figurata; quia figura per similitudinem ad propriam significationem dicitur et sic constituit sensum litteralem improprium. Ponere ideo propositionem sine sensu litterali proprio vel saltem improprio est idem ac ponere verba ac propositiones quae nihil significant.

Quando ergo Patres neglecto sensu litterali sive proprio sive improprio sensum exponunt spiritualem, hoc faciunt non quia sensum litteralem negant, sed propter alias rationes, nempe vel quia sensus letteralis evidens est, vel quia sensum spiritualem magis aestimabant. Repugnat enim quod quis sensum spiritualem intellegat atque exponat sine sensu litterali, a quo fluit et sine quo esse non posset.

**9. Unitas sensus litteralis.** Quaelibet propositio sensum habet litteralem sive proprium sive saltem improprium seu figuratum: ulterius nunc quaeritur: num una propositio posset plures habere sensus litterales? Agitur hic de pluribus sensibus litteralibus *explicitis, obiectivis* ac *aeque immediatis*. Non negatur enim plures sensus *subiectivos* adesse posse in unica propositione. Hoc enim evidenter patet praecipue in obscurioribus locis qui diversimode exponi possunt. Neque agitur de pluralitate sensus litteralis, inquantum in unica propositione possunt esse plures sensus littera-

les *subordinati*, videlicet sensus *explicitus*, *implicitus* ac *consequens*.

Plures credunt S. AUGUSTINUM ac S. THOMAM affirmative respondisse ad hanc quaestionem. S. Augustinus enim scribit de Genesi I, 1: « Cum alius dixerit: hoc sensit [hagiographus] quod ego; et alius: immo illud quod ego; religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras Litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, et hoc illum virum de te non meruisse credam. Sensit ille omnino in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest » (1). Et in alio loco: « Quando autem ex eisdem Scripturae verbis non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sacrarum Scripturarum doceri potest: id tamen eo conante qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus; sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis verbis, quae fidei rectae non refragatur exculpat, testimonium habens a quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis quae intelligere volumus, et ipsam sententiam forsitan vidit; et certe Dei Spiritus, qui per eum haec operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori, sine dubitatione praevidit; immo

(1) S. AUGUSTINUS, *Confessiones* XII, 31 (PL, XXXII, 844).

ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intellegantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari?» (1).

In utroque loco S. AUGUSTINUM loqui de pluribus sensibus litteralibus libenter concedimus, nostro tamen modesto indicio ipse videtur de pluribus sensibus *subiectivis* et non *obiectivis* loqui. Quod si plures isti sensus forsitan ab hagiographo, certe autem a Dei Spiritu fuisse praevisi dicantur, hoc non facit quod hi sensus subiectivi fiant obiectivi. Quandoque enim verba et propositiones possunt in diversis intellegi sensibus, scriptor tamen certo-certius unicum sensum immediatum exprimere intendit, hinc ipse s. Doctor dicit scrutatorem divinorum eloquiorem conari, *ut ad voluntatem perveniatur auctoris*. Hinc non desunt auctores qui S. Augustinum unitatem sensus litteralis docuisse probare conantur (2).

S. THOMAS prope ad S. AUGUSTINUM accedit, immo in utroque loco, qui communiter pro pluralitate sensus litteralis citatur, Angelicus explicite Doctorem Hipponensem allegat. Unus locus sic sonat: «[Vitandum est] ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit quod alios sensus qui in se veritatem continent, et possunt, salva circumstantia litterae, Scripturae aptari, penitus excludantur; hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, ut unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente conceperit; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra Scriptura velit intellegere,

(1) IDEM, *De Doctrina Christiana*, III, 37 (PL, XXXIV, 80).

(2) Ita P. TALON F., S. I., *Saint Augustin a-t-il réellement enseigné la pluralité des sens littéraux dans l'Écriture?* in *Recherches de Science Religieuse*, XI (1921), p. 1-28. — FERNANDEZ A., S. I., *De mente S. Augustini relate ad unitatem sensus litteralis*, in *Verbum Domini*, VII (1927), p. 278-284.

falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possunt intellegere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua ab expositoribus sacrae Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intellegit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas quae, salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus » (1). Alter locus est articulus ultimus primae quaestionis *Summae Theologicae*, quem S. Doctor in tres dividit partes: primo scilicet ponit divisionem sensus biblici in sensum litteralem ac spiritualem; postea dat trifariam divisionem sensus spiritualis; et tandem his verbis concludit: « Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit; auctor autem sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit AUGUSTINUS, si etiam secundum litteralem sensum in una littera sacrae Scripturae plures sint sensus » (2).

Inter hodiernos scriptores quidam (3) dicunt S. THOMAM pluralitatem sensus litteralis docuisse in priori loco, in posteriori vero unitatem, ac proinde concludere debent S. Doctorem in *Summa Theologica* sese retractasse.

Alii (4) tenent S. Doctorem in utroque loco pluralitatem sensus litteralis docuisse.

(1) S. THOMAS, *De Potentia*, quaes. IV, art. 1.

(2) IDEM, *Sum. Theol.*, I, qu. I. art. X.

(3) Ita P. CORNELY, *op. cit.*, p. 547. — PORTALIÉ E., in *Dictionnaire de Théol. Cathol.*. I, *s. v.* Augustin (saint), c. 2343.

(4) Ita communiter discipuli S. THOMAE., Cf. inter recentiores P. BLANCHE F. A.. O. P., *Le sens littéral des Écritures d'après saint Thomas d'Aquin*, in *Revue Thomiste*, XIV, (1906), p. 200 s. P. BONHOMME R.. O. P., *Le sens biblique du Théologien*, *ibid.*, XVI (1908). p. 9 s. — P. ZAPLETAL V., O. P.. *Hermeneutica Biblica*, Friburgi Helv. 1908, p. 29 s.

Tandem non desunt qui asserunt Angelicum utrobique unitatem sensus litteralis intendisse (1)

In utroque textu eadem videtur esse doctrina S. THOMAE, immo locus *Summae Theologicae* breviter resumit id quod dicitur in *De Potentia*. Hic autem textus intime pendet a textu S. AUGUSTINI, quem ceteroquin S. THOMAS explicite allegat ad limen huius articuli. Ergo S. Doctor eodem modo quo Doctor Hipponensis loquitur de pluralitate sensuum non *obiectivorum* sed *subiectivorum*. Alter vero textus diversimode hodie interpretatur. Quidam (2) verba « sensus litteralis est, quem auctor intendit » interpretantur de sensu *litterali* non quatenus contradistinguitur ad sensum *spiritualem*, sed late sumpto includente sensum *spiritualem*. Alii (3) vero obviam interpretationem sequuntur et concludunt ad pluralitatem sensus litteralis. Altera interpretatio nobis probabilior videtur, tum quia magis convenit contextui; tum quia in priori explicatione non intellegitur quare S. Doctor dicit: « si etiam secundum litteralem sensum », quod evidenter significant « si *non solum* secundum sensum *spiritualem, sed etiam* secundum *litteralem* sensum » ; tum tandem, quia si sensus *litteralis* sumatur etiam pro *spirituali* tunc non solum « non est inconveniens » quod sint plures sensus *litterales*, sed est certum: quod ceteroquin iam dixerat Angelicus initio articuli. Sic ergo in calce articuli haberetur repetitio eorum quae initio posita sunt, cum non levi differentia quod initio S. Doctor categorice sensuum pluralitatem i. e. sive litteralium sive spiritualium docet, in fine vero eamdem pluralitatem quasi dubitanter proponit: « non est inconveniens ».

Admissa tamen interpretatione de sensu litterali *stricte* sumpto, nostro humili iudicio falsa videtur conclusio ad pluralitatem

(1) Cf. P. SYNAVE O. P., *La doctrine de saint Thomas d'Aquin sur le sens littéral des Écritures*. in *Revue Biblique*, XXXV (1926), p. 57-64. Cf. etiam P. VOSTÉ I., O. P., in recentione operis P. HÖPFL H., O. S. B., *Tractatus de Inspiratione etc...* in *Revue Biblique* XXXVI (1927), p. 112.

(2) Ita P. CORNELY, *loc. cit.*, p. 202. — PORTALIÉ, *loc. cit.* — P. SYNAVE, *loc. cit.*, p. 58 s. — P. VOSTÉ, *loc. cit.*

(3) Ita P. BLANCHE, *loc cit.*, p. 202. — P. BONHOMME, *loc. cit.*, p. 10.

sensuum litteralium *explicitorum* atque *obiectivorum*. Hic enim, sicut in priori textu, agitur de pluralitate sensuum *subiectivorum* vel etiam *implicitorum* seu *consequentium*. Recolantur et hic Angelici verba iam supra transcripta: « Qui dicit unum, quodammodo dicit multa, scilicet in potentia, secundum quod conclusiones sunt potentia in principiis, ex uno enim principio multae conclusiones sequuntur » (1).

Eliminatis ergo ambobus difficultatibus quae ex auctoritate summorum Doctorum AUGUSTINI et THOMAE provenire videbantur, concludimus sensum litteralem in S. Scriptura esse unum. Quod sic probatur.

Deus in Sacra Scriptura hominibus per homines atque humano more loquitur. Atqui sermo inter homines non compatitur sensuum litteralium multiplicitatem, quia multiplicitas sensuum in una scriptura parit confusionem, et deceptionem, et tollit arguendi firmitatem. Ergo in sacra Scriptura non debent sub una littera plures sensus litterales tradi (2)

Maior fundatur in ipsa natura inspirationis biblicae, in qua Deus se habet ut auctor principalis; homo ut instrumentum rationale et liberum. Deus autem hominem movet secundum suam naturam et ideo per hominem humano loquitur modo. Minor fundatur in ipsa definitione sensus litteralis, qui, ut pluries diximus consistit in verborum prima significatione, quae per se clara et determinata supponitur. Ergo sensus litteralis non potest esse nisi unus et pluralitas sensus biblici provenit ex sensu spirituali. Con-

(1) S. THOMAS, *Quodl.* VII, art. XVI, ad 3. — Remanet pro mente S. THOMAE difficultas, certo non spernenda, quae ex unanimi sententia discipulorum eius desumitur. Ad hanc difficultatem respondere posse credimus hoc modo: oporteret nempe de unoquoque discipulo in particulari agi; ipsi enim necessarias distinctiones, quae ceteroquin desunt etiam apud S. Doctorem, non posuerunt; et exinde provenit confusio, quatenus dum quaestio est de sensu *explicito* et *obiectivo*, ipsi loquuntur de quocumque sensu litterali sine distinctione, ac proinde includunt etiam sensus *subiectivos, implicitos* ac *consequentes*.

(2) Hoc argumentum desumitur ex S. THOMA, *Quodl.* VII, art. XIV, obrie. 1. et *Sum. Theol.*, I, qu. I, art. X obiect. 1.

cludamus ergo verbis ipsius S. THOMAE: « Sensus isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces, aliarum rerum possunt esse signa. Et ita nulla confusio sequitur in sacra Scriptura; cum omnes sensus fundentur super UNUM, scilicet LITTERALEM, ex quo solo potest trahi argumentum... » (1).

**10. Vis probativa sensus litteralis.** Plures sunt sensus litterales S. Scripturae, et non omnes aequo modo vocari possunt sensus biblici; proinde varia est eorum vis probativa. Singulis sensus hic recenseantur oportet:

α) *Sensus explicitus et obiectivus.* Hic sensus quando certo constat *maximam* habet vim probativam. Est enim immediatus sensus Spiritus sancti ac proinde non potest esse falsus. Eadem vis probativa competit sensui litterali *improprio,* dummodo constet de eius vera interpretatione; e. gr. celebris textus S. MATTHAEI: « Tu es Petrus, et super hanc *petram* aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo *claves* regni coelorum etc... » (Mt. XVI, 18-19). Hic textus sensum habet litteralem improprium: *petra* et *claves* enim sunt figurae, quae primatum potestatis plenae ac supremae Petri significant (2).

β) Sensus *implicitus* stricte sumptus, quando scilicet est vere in sensu explicito contentus, vi gaudet probativa. Est enim verus sensus sacrae Scripturae, et potest esse obiectum definitionis dogmaticae (Conclusio explicativa, seu quoad nos tantum seu impropria).

γ) *Sensus consequens,* qui scilicet ope rationicii e verbis sacrae Scripturae deducitur, non est sensus sacrae Scripturae sed conclusio theologica proprie dicta seu *illativa;* et sic non est obiectum infallibilitatis, quamvis vim habeat probativam maiorem

(1) S. THOMAS, *Sum. Theol.,* I, qu. I, art. X ad. 1.

(2) Cf. *Concilium Vaticanum,* apud DENZINGER, *Enchiridion...* nn. 1882-1883.

vel minorem secundum gradum evidentiae in nexu inter conclusiones et praemissa (1).

δ) Sensus accomodatus cum non sit sensus S. Scripturae neque ullum cum verbis S. Scripturae nexum habet quacumque vi probativa in re theologica caret.

## Art. III — De sensu spirituali

**11. Sensus spiritualis notio et divisio.** Sensus spiritualis definitur a S. Thoma his verbis: « Illa significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant » (2). Vocatur *spiritualis* ex verbis S. Pauli: « Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti: non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat » (2 Cor. III, 5-6). Hic enim Apostolus opponit sensum Spiritus, qui in littera latet, sensui litterali: hinc denominatio: sensus *spiritualis*. Vocatur etiam *realis*, quia non in *verbis*, sicut sensus litteralis; sed in *rebus* ipsis realibus fundatur. Dicitur etiam *typicus*, secundum illud S. Pauli: « Qui [Adam] est forma τύπος futuri » (Rom. V, 14) (3). Item S. Petrus (2, III, 21) baptismum *antitypum* diluvii vocavit. Tandem vocatur etiam *mysticus*, a graeco verbo μύειν = *abscondere*, quia in sensu litterali absconditus est.

Sensus spiritualis ergo est sensus *propheticus*, quatenus *rebus realibus* futura praedicit, sed bene distinguitur a *prophetiis messianicis* quae litteraliter seu sine typo de Christo dicuntur, e. gr. Psalmus XXI. Distinguitur pariter a sensu litterali *improprio*, quia figura hic non est *realitas*, sed similitudo *verbalis* (4).

(1) Cf. P. Schultes R., O. P., *De Ecclesia Catholica*, Parisiis s. d., paginis 631-635.

(2) S. Thomas, *Sum. Theol.*, I, qu. I, art. X.

(3) Cf. etiam Rom. V, 17; I Cor. X, 6, 11.

(4) Cf. S. Thomam, *Quodl.* VII, art. XV, ad 1: « Hircus, vel alia huiusmodi per quae aliae personae a Christo in Scripturis designantur, non fuerunt *res* ali-

Tandem distinguitur a sensu *symbolico*, quia quamvis symbolum sit signum reale alius rei, tamen est *adventitium* et *particulare*, dum sensus spiritualis est *universalis* et *in ipsa rerum generatione*. « Spiritualis sensus sacrae scripturae, dicit Angelicus, accipitur ex hoc quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinatur res in cursu suo, ut eis talis sensus possit accipi, quod eius solius est qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est » (1).

---

quae, sed *similitudines imaginariae*, ad hoc solum ostensae, ut illae personae significarentur; unde illa significatio qua per illas similitudines personae illae, aut regna designantur, non pertinet nisi ad *historicum* sensum; sed ad Christum designandum etiam illa quae in rei veritate contigerunt ordinantur sicut umbra ad veritatem; et ideo talis significatio, qua per huiusmodi res Christus aut eius membra significantur, facit alium sensum praeter historicum, scilicet *allegoricum*. Si alicubi vero inveniatur quod Christus significatur per huiusmodi imaginarias similitudines, talis significatio non excedit sensum *litteralem;* sicut Christus significatur per lapidem, qui exisus est de monte sine manibus, Dan. II, 34 ».

(1) S. Thomas, *Quodl.* VII, art. XVI. Cf. etiam Caietanum, *Comm. in Sum. Theol.*, I, qu. I, art. X ubi dicit: « Cum accomodare res ad significandum nihil aliud sit quam facere res esse non solum res, sed signa aliarum rerum, dupliciter intellegi potest res fieri signa: uno modo, *in ipsa generatione rerum*, ut scilicet simul fiant ad hoc ut sint res, et signa aliarum rerum; alio modo, *adventitie*, ut res iam factae accipiantur ut signa. — Si accomodatio rerum ad hoc ut sint signa, sumatur hoc secundo modo, non est proprium Dei, nec excedit hominis facultatem, accomodare res ad significandum: nec est proprium huius scientiae quod res significent. Quoniam res gestae narratae in aliis historiis, possunt ab homine interpretari ut signa aliarum; non solum per modum imitationis, ut gesta fortia antiquorum imitanda sint a successoribus; sed per modum significationis, ut scilicet gesta illa ut signa habeantur gerendorum. — Si autem sumatur accomodatio rerum ad significandum, primo modo, dupliciter potest intellegi: scilicet universaliter, et particulariter. Si particulariter, sic non excedit hominis potestatem: nam quilibet potest facere aliquos actus, vel aliquod artificiale, et faciendo illa, intendere per illa significare aliam rem, ut patet. Sed quod omnia quae narrantur gesta in tot historiis ut res ad doctrinam aliquam spectantes, ut sic, sint ex sui constitutione signa aliarum rerum, hoc excedit humanam facultatem: hoc Dei est proprium; in hoc haec doctrina ceteras scientias excellit ».

Plures divisiones sensus spiritualis iam supra (§ 5) vidimus. Praecipuae divisiones, quae hodie communiter admittuntur sunt:

α) Divisio sensus spiritualis secundum *antetypos*. Prout scilicet sensus litteralis est figura Christi vel operis eius et sic habetur sensus *spiritualis messianicus;* vel prout est figura futurae gloriae et sic est sensus *spiritualis anagogicus*.

β) Divisio sensus spiritualis secundum *verborum significationem*, et ita dividitur eodem modo quo sensus litteralis: in *proprium*, si verba in antitypo in sua naturali significatione verificantur, ut « Os non comminuetis ex eo » (Io. XIX, 37) *vere* sed *spiritualiter* de Christo, dum in Ex. XII, 46; Num. IX, 12 *vere* sed *litteraliter* de agno paschali; *improprium* seu *figuratum*, si verba in antitypo modo figurato intellecta adimplentur, e. gr. « Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli » (Mt. XXI, 42) dicitur *figurate* et *spiritualiter* de Christo; in Ps. CVII, 22 vero de psalmista *figurate* sed *litteraliter* dicitur.

**12. Existentia sensus spiritualis.** Sensum spiritualem negarunt MARCIONITAE, negata enim divina Veteris Testamenti origine, logice sequebatur conclusio, quia sensus spiritualis est Dei proprius. Quidam sensum spiritualem nimis coarctarunt, ut THEODORUS MOPSUESTENUS (1). Item plures Protestantes, duce LUTHERO et SOCINO, negant exsistentiam sensus spiritualis.

Sensus spiritualis adesse in S. Scriptura pluribus argumentis probatur:

(1) Cf. S. THOMAS, *Comm. in Psalmos*, Prol. c. med.: « Circa modum exponendi sciendum est, quod tam in Psalterio, quam in aliis prophetiis exponendis evitare debemus unum errorem damnatum in quinta Synodo. THEODORUS enim Mopsuestenus dixit, quod in sacra Scriptura et prophetiis nihil expresse dicitur de Christo, sed de quibusdam aliis rebus sed adaptaverunt Christo: sicut illud Ps. XXI: Diviserunt sibi vestimenta mea etc..., non de Christo, sed ad litteram dicitur de David. Hic autem modus damnatus est in illo et qui asserit sic exponendas Scripturas haereticus est ».

α) *Ex Sacra Scriptura.* Ipse Christus saepe de rebus et personis Veteris Testamenti ut sui figuras locutus est. Sic Ionas propheta (Mt. XII, 29); serpens aeneus in deserto (Num. XXI, 9 = Io. III, 4) etc. Item Apostoli Petrus, Paulus iam supra laudati, ceterique.

β) *Ex traditione.* Omnes Patres, ut ex supra allatis textibus copiose patet, praeter sensum litteralem agnoverunt in sacra Scriptura altiorem aliquem sensum, scilicet spiritualem. Patrum doctrinam approbavit ac secuta est Ecclesia, quae saepe in sua liturgia sensum spiritualem allegat. Ita inter alia numerosa exempla canit Ecclesia de Christo Eucharistico;

« In figuris praesignatur,
Dum Isaac immolatur,
Agnus Paschae deputatur,
Datur manna patribus » (1).

Hinc EUGENIUS IV (1431-1447), in *Decreto pro Iacobitis*, dicit: « Firmiter credit, profitetur et docet [Ecclesia], legalia Veteris Testamenti seu Mosaicae Legis, quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino Nostro Iesu Christo adveniente cessasse et Novi Testamenti sacramenta coepisse » (2).

Item LEO XIII in *Encyc.* « Providentissimus » dicit: « Caveat idem [exegeta] ne illa negligat, quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendent et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti » (3).

(1) Sequentia « Lauda Sion », festi SS. Corporis Christi.

(2) *Enchiridion Biblicum*, n. 34.

(3) *Ibid.*, n. 97.

Tandem Benedictus XV, in Encyc. « Spiritus Paraclitus » de S. Hieronymo scribit: « Litterali autem seu historica significatione in tuto collocata, interiores altioresque rimatur sensus, ut exquisitiore epulo spiritum pascat... Monet tamen, cum de quaerendo agitur eiusmodi interiore sensu, quemdam modum esse adhibendum, « ne dum spiritales divitias sequimur, historiae contemnere paupertatem videamur » (1). Itaque haud paucas improbat antiquorum scriptorum mysticas interpretationes ob eam praecipue causam, quod in litterali sensu minime inniterentur... Qua in re sapienter animadvertit, non esse a Christi et Apostolorum vestigiis discedendum, qui, quamquam Vetus Testamentum uti Novi Foederis praeparationem et obumbrationem considerent proptereaque locos complures typice interpretantur, non omnia tamen ad typicam significationem trahunt... » (2).

Item Pontificia Commissio de Re Biblica de tribus prioribus Geneseos capitibus dicit quod: « praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica, praefulgente sanctorum Patrum et Ecclesiae ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter » potest (3).

**13. Extensio sensus spiritualis**. Duplex hac in re vitandus est error. Vidimus enim supra, scholam Alexandrinam ubique in sacra Scriptura sensum allegoricum quaesivisse, et hic est excessus. Alii vero nimis coarctant sensum spiritualem et praeter locos, qui in Novo Testamento ab auctoribus inspiratis in sensu spirituali interpretati sunt, alios admittunt nullos. Defensores prioris sententiae *Figuristae*, posterioris vero *Antifiguristae* vocari solent. Veritas tamen est in medio.

α) Historia Veteris Testamenti ut totum aliquod est figura Novi Testamenti, non tamen singulae partes Veteris Testamenti

(1) S. Hieronymus, *in Ecclesiastem*, II, 24-26 (PL. XXIII, 1033 A).

(2) *Enchiridion Biblicum*, n. 499.

(3) *Ibid.*, n. 337.

sensum habent spiritualem. Sic prophetiae litteraliter messianicae nequeunt habere sensum spiritualem. Sensus ergo spiritualis non est universalis.

β) Exsistentia autem sensus spiritualis in loco aliquo particulari, dignoscitur.

1° *Certe* quando auctores inspirati Novi Testamenti explicite id declarant, vel eo utuntur.

2° Quando Patres communiter et constanter aliquem textum in sensu spirituali exponunt.

3° Quando Ecclesia cuius est sacros libros interpretari id declarat.

4° *Probabiliter* adest sensus spiritualis quando est manifesta analogia inter facta Veteris et Novi Testamenti. Sicut Isaac e. gr. qui ligna fert ad suum proprium sacrificium est figura Christi baiulantis crucem. Haec autem expositio eo magis erit probabilis quo Patrum maior pars eamdem sequitur interpretationem.

**13. Vis probativa sensus spiritualis.** Ut supra vidimus, S. Thomas (1) vim probativam ad solum sensum litteralem limitat. Attendatur tamen oportet ad Angelici intentionem. Dicit enim alibi: « Non est propter defectum auctoritatis quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum; sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus. Una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate; sed est fallacia consequentis: verbi gratia, leo propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum: unde per hoc quod aliquid de leone dicitur in sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus, in sacra Scriptura, argumentando » (2).

(1) S. Thomas, *Sum Theol.*, I, qu. I, art. X ad 1.

(2) Idem, *Quodl.*, VII, art. XIV, ad 4.

Secundum mentem S. Doctoris sensus spiritualis, cuius Deus est auctor, eamdem habet auctoritatem ac sensus litteralis *quoad se*. *Quoad nos* tamen, quia non semper cum certitudine hunc sensum discernere possumus, non potest adhiberi sicut sensus litteralis. Nihil tamen officit ad hunc sensum spiritualem in causam adducendum quando certi sumus de eius in tali particulari loco exsistentia.

## CAPUT II

## DE S. SCRIPTURAE SENSU INVENIENDO
(HEURISTICA)

**15. Divisio heuristicae.** Postquam egimus de variis s. Scripturae sensibus, nostrum est nunc regulas inquirere ad tales sensus recte educendos e sacris Litteris. Libri sacri enim considerari possunt sub eorum aspectu *humano*, quatenus humana concinnati sunt industria; et sub eorum aspectu *divino*, quatenus sunt divinitus inspirati; et sub eorum aspectu *ecclesiastico*, sunt enim Ecclesiae traditi custodiendi, atque ab Ecclesia in canonem recepti seu canonici et fidelibus propositi.

Quatenus libri sacri considerantur sub aspectu humano subiacent regulis criticae *rationalis*, sicut omnes alii libri humani, antiqui praesertim. Quatenus vero sunt inspirati speciales habent regulas interpretationis, quas christiani communiter servant, et sic datur hueristica *christiana;* quatenus tandem sunt inspirati ac canonici, seu Ecclesiae traditi, subiacent authenticae interpretationi Ecclesiae, quam omnes catholici sequuntur et sit habetur heuristica *catholica.*

Sunt ergo tres partes heuristicae biblicae (1), quas per tot articulos exponere intendimus videlicet:

Art. I — Heuristica rationalis.
Art. II — Heuristica christiana.
Art. III — Heuristica catholica.

(1) Ita RANOLDER I., *Hermeneuticae Biblicae Generalis*[2], Budae 1859, p. 4. P. ZAPLITAL V., O. P., *op. cit.*, p. 66. — P. HÖPFL H., O. S. B., *op. cit.*, p. 168.

## Art. I — HEURISTICA RATIONALI

**16. Heuristicae rationalis munera.** Libri sacri non solum humana industria conscripti sunt, sed etiam humano modo sunt conservati ac propagati. Textus originales non amplius habetur et sive transcriptiones sive etiam versiones non servant in eorum puritate originis originales textus. Hinc primum munus heuristicae rationalis est textum correctum et emendatum parare, quod fit ope *criticae textualis.*

Textus emendatus ac fidelis est fundamentum cuiuscumque bonae interpretationis: est ergo omnino necessarius sed non est sufficiens. Requiruntur enim *expositio philologica,* quae praecipue linguam examinat, ac *logica* quae potius propositionum nexum inter se et cum integro contextu investigat.

Praetera opus est *criticae litterariae,* cuius obiectum est investigare fontes, quibus hagiographus est usus, et characterem compositionis litterariae.

Ac tandem *critica historica* quae de ipsius libri origine et historia eiusque veritatem contra obiecta quae opponi possunt defendat.

Haec varia munera heuristicae rationalis latus librorum humanum bene pandunt et in hoc tendunt ut heuristicae christianae ac catholicae solida praebeant fundamenta.

**17. Critica textualis.** Non est nostrum hic ex professo tractare de critica textuali, quae hodie est nova disciplina autonoma. Haec praesupponit historiam textus originalis eiusque versionum necnon eiusdem usum apud Patres atque antiquos scriptores. Hi enim sunt tres praecipui fontes e quibus haurire debemus fideliorem textum. Hinc requiritur pariter cognitio meliorum codicum sive textuum originalium, sive versionum, sive Patrum; atque notitiam artis criticae ut ex variis lectionibus horum fontium meliorem eligatur. Hoc est obiectum ac finis criticae textualis.

Hodie plures habentur editiones criticae sacri textus, ac proinde exegeta qui mavult operam dare interpretationi textus quam eius criticae reconstructioni, potest cum debitis curis uti aliqua editione critica, ex cuius apparatu potest, si sibi melius videbitur, aliam eligere lectionem quam editor in suo textu posuit.

**18. Expositio philologica.** Invento fideliori textu, interpres debet verba ipsa materialia obscuriora praecipue et difficiliora explicare et si est necessarium documenta coaeva, quando habentur, interrogare ut verum sensum ab hagiographo intentum eliciat. Ad hoc autem requiritur *cognitio* illarum *linguarum*, quibus textus originales sunt exarati, scilicet linguae hebraicae atque aramaicae, necnon linguae graecae hellenisticae. Hinc S. AUGUSTINUS, scribit: « Duabus autem causis non intelleguntur quae scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur... Contra ignota signa propria magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebraea scilicet et graeca; ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas » (1). Et Leo XIII: « Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas [veteres orientales] cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati... » (2).

Ad hoc autem non sufficit aliqualis grammaticae et syntaxis cognitio, sed totius complexus *usus loquendi cuique* linguae peculiari. Sunt enim expressiones, quas vocant *idiomata* seu *locutiones*, quae legibus grammaticalibus explicari nequeunt (3).

(1) S. AUGUSTINUS, *De Doctrina Christiana*, II, c. X s. (PL. XXXIV, 42).

(2) LEO XIII in *Encyc.* « *Providentissimus* », *Ench. Bibl.*, n. 103; cf. etiam nn. 133, 165.

(3) Cf. hac de re S. AUGUSTINUM, *Locutiones in Heptateuchum*, libri septem (PL, XXXIV, 485-546).

Tandem requiritur etiam cognitio *artis rhetoricae*. Dantur enim in S. Scriptura varia genera litteraria, quae proprias habent leges, et sine quarum legum notitia, impossibilis evadit vera explicatio. Hic specialis mentio facienda est de *allegoria* et *parabola* quae frequenter in Novo Testamento occurrunt.

Allegoria, quam iam supra (§ 6) definivimus, est continua locutio metaphorica; parabola vero, ut ibidem diximus est explicita comparatio inter duos status vel ordines rerum. Circa eorum naturam et interpretationem haec dilucide scribit cl. P. Vosté (1):

« 1. Sicut parabola aut fabula se habent ad comparationem, ita allegoria se habet ad metaphoram.

« 2. Iamvero parabola non est mera brevissima comparatio, qua duo vel tres termini ad invicem referuntur, sed est *narratio completa* et quidem *coordinata metaphorarum*. Non sufficit ergo successiva disparilis accumulatio translationum; sed debent translata verba inter se esse conexa, utpote mutuata ab uno obiecto seu statu atque narrationem completam efformantia (2).

« 3. Differentia itaque essentialis inter parabolam et allegoriam consistit in differentia sensus proprii et sensus translati. Dum in parabola, ope comparationis explicitae, unum illustrat alterum, A (typus) illustrat B (antitypum); in allegoria e contra, suppresso termino comparationis, A dicitur pro B, A est B: pronuntiatur A sed revera describitur et cogitatur B propter exsistentem analogiam inter utrumque...

« 4. Inde sequitur regula maximi momenti pro rationali et sola accurata dignaque interpretatione tam allegoriae quam parabolae.

(1) P. Vosté I., O. P., *De Natura et Interpretatione Parabolarum*, Romae 1926, n. 18 s.

(2) Concise et dilucide scribit P. Lagrange: « L'allégorie est une suite de métaphores où chaque objet suggère l'idée d'un autre objet; la parabole est une comparaison qui met en regard deux situations dont chacune a son objet distenct ». *Revue Biblique* 1908, p. 200.

« Cum allegoria constituatur serie metaphorarum, i. e. verborum quae figuratae supponunt; oportet ut *singula verba* applicationem habeant et recipiant in antitypo: A enim stat pro B, omnia ergo quae de A dicuntur revera supponunt pro B.

« Parabola autem explicite comparat duos status: unde A in sua propria natura describitur, et sub aspectu formali quo describitur referendus est totus ad B; v. gr. in parabola sinapis, nec color, nec gustus aut singularis vis sinapis considerantur, sed « minimum seminum crescit mox in arborem magnum »; ita et Regnum coelorum « minimum initio, crescet in maximum ». Hic totum negotium ut unum applicandum est toti (abstractione nunc facta a minutis elementis metaphoricis, quae plerumque in parabolis habentur); dum vero in allegoria singula applicentur singulis ».

**19. Expositio logica.** — Post significationem verborum transire debemus ad eorum coordinationem in propositionibus et periodis. Haec enim coordinatio specialibus regitur dialecticae legibus. Nexus autem verborum inter se ad formandas propositiones, propositionum nexus in periodis, ac tandem periodorum nexus ad opus litterarium perficiendum vocatur *contextus*.

Contextus autem potest esse *proximus* et *remotus*. Contextus proximus est nexus inter verba in propositione, vel inter propositiones in periodo; *remotus* vero contextus est nexus inter maiores operis partes.

In sensu inveniendo non est minoris momenti contextus sive proximus sive remotus. Sic v. gr. ex toto Evangelii contextu habetur Iesum natum esse de matre virgine, quando ergo sermo est de fratribus Domini, patet ex contextu quod non agitur de fratribus uterinis. Item in libro Genesis supponitur post diluvium omnes gentes provenire a tribus Noe filiis: ergo ex contextu videtur diluvium anthropologice fuisse universale.

Contextus alicuius libri remotus habetur ex eiusdem libri *argumento*, quod magni momenti est ad plura in ipso libro explicanda. Sic v. gr. S. Marcus in suo Evangelio insistit super mini-

sterium Christi in Galilaea pluraque omittit quae locum habuerunt in Iudaea, ut apparitiones Christi post resurrectionem in in sancta Civitate; hoc autem logice explicatur prae oculis habito argumento scripti.

Huc spectant etiam *loci paralleli,* qui, sunt textus ab eodem vel ab auctoribus diversis conscripti atque repetunt pluries eamdem doctrinam vel eadem facta. Hi enim loci ad invicem conlati non parvam lucem afferunt ad rectam intellegentiam sacri textus.

Ad locos parallelos accedunt etiam *citationes,* quae tamen sunt allegationes verbales ex uno in alio libro.

Tandem *parallelismus membrorum,* qui regula est poesis hebraicae, et quo faciliter ex intellegentia unius membri deduci potest alterum membrum.

Triplicem parallelismi formam primus detexit ROBERTUS LOWTH (1710-1787) (1), quarum prima *synonyma,* secunda *antithetica,* tertia *syntetica* vocatur.

*Parallelismus synonymus* definitur ab ipso LOWTH, «cum proposita quacumque sententia, eadem denuo exprimitur aliis verbis idem significantibus» (2).

Ita Ps. II, 3: «Dirumpamus vincula eorum;

«Et proiciamus a nobis iugum ipsorum».

*Parallelismus antitheticus* «cum opposito contrario res illustratur. Hoc non uno modo fit: nam et sententiae sententiis, et verba verbis, et singula singulis, et bina binis, et unum uni opponitur» (3).

Ita Prov. X, 1:

«Filius sapiens laetificat patrem;

«Et Filius stultus maestitia est matris suae».

*Parallelismus syntheticus* «cum sententiae invicem respondent, non eiusdem rei iteratione, aut oppositione diversarum, sed

(1) LOWTH R., *De sacra Poesi Hebraeorum,* Praelectiones Academiae Oxonii habitae, a. 1753.

(2) IDEM, ed. 2 MICHAELIS Io. DAV., Goettingae 1770, I, p. 365.

(3) IDEM, *ibidem,* p. 378.

sola constructionis forma; in quam itaque referri possunt cetera, quae in duas priores species non cadunt » (1).

Ita Ps. III, 5: « Voce mea ad Dominum clamavi,
« Et exaudivit me de loco sancto suo ».

Sunt praeterea, in poësi praecipue, alia indicia quibus contextus operis eiusque partes melius apparent, ut versus intercalares (2), divisiones sermonis vel carminis logicae (3) etc.

**20. Critica Litteraria.** Hoc munus heuristica rationalis est praecedentibus difficilius et maiori cum cautela tractandum. Plures sunt libri Veteris Testamenti quorum auctor penitus ignoratur: immo sunt et libri qui unitate litteraria carent et supponunt varios auctores, e. gr. Psalterium. Hagiographi non raro expresse dicunt se usos esse fontibus, quos forsitan quandoque litteraliter transcribunt.

Hinc ipsa PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA de Pentateucho respondet:

a) Permitti potest hypothesis eorum, qui existimant eum opus ipsum a Moyse sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur.

b) Absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi potest Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata ipsi operi inseruerit (4).

(1) IDEM, *ibidem*, p. 382 s.

(2) Cf. Ps. XLII-XLIII, XLVI, XCIX (sec. TM); Is. IX-X etc...

(3) Cf. Ps. CXLVIII ubi primo *colli* laudant Dominum, deinde *terra*, in fine *collum* et *terra*.

(4) Responsum III, d. 27 Junii 1906, de Mosaica authentia Pentateuchi, dub. II et III; *Ench. Bibl.*, nn. 175-176.

**21. Critica historica**. Ope huius investigationis sensus alicuius scripti ponitur in suis circumstantiis historicis, ex quibus multa particularia statim alium assumunt valorem aliamque significationem; ad hoc ergo spectant quaestiones quae in speciali introductione ad singulos libros agitari solent, scilicet: quis auctor, quae aetas, qui destinatarii, quis finis auctoris, etc...

Hae quaestiones historicae ex testimoniis sacris libris extrinsecis desumi debent; argumenta enim interna has quaestiones nequeunt solvere. Hinc Leo XIII scribit: « Hos autem ipsos [exegetas], eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis critiae disciplina: perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diudicato emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari » (1).

Revera enim cognito auctore operis ac consequentur aetate et historicis circumstantiis, facilius ac verius exponitur sacer textus. Sic in Psalmis, ubi a tempore Moysis ad tempus post exsilium distribuuntur eorum auctores, facilius evadit expositio quando cognosci cum certitudine potest utrum psalmus talis pertineat ad Davidem an vero ad auctorem aliquem in exsilio exsistentem. Attendatur praeterea, in poesi praecipue, quod quandoque plures personae in eodem carmine loquuntur (drama), quin ullum notetur transitionis signum (mimesis); cf. Psal. II.

Sic ergo habito fideliori textu, cognita lingua qua liber aliquis est exaratus, examinatis criteriis internis seu logico inter partes nexu, necnon criteriis externis seu historicis circumstan-

(1) Leo XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 104.

tiis in quibus liber ortum habuit, exegeta paratus est ad expositionem rationalem eiusdem libri.

## Art. II — HEURISTICA CHRISTIANA

**22. Heuristica Christiana eiusque obiectum.** Iam heuristica rationalis plura continet quae pertinent ad realem expositionem textus: sed haec omnia sunt humana et fere cortex sacrarum Litterarum. S. Scriptura enim, quatenus divinitus inspirata, Deum habet auctorem, et sic est divina. Ex divino Scripturarum charactere, sequitur eorum veritas omnimoda. Praeterea, ut supra vidimus, Deus ordinare potest non solum verba ad aliud significandum, sed et res ipsas. Exinde fluit alter S. Scripturae character, scilicet sensus spiritualis praeter litteralem.

Christiani interpretes ergo praeter regulas heuristicae rationalis, debent prae oculis tenere hos characteres sacrorum librorum, eosque ita exponere ut nihil contra dignitatem sacrorum librorum affirment vel negent. Hinc totis veribus debent laborare ut nihil contra ss. Librorum inspirationem ac veritatem admittant.

a) *Inspiratio S. Scripturae.* De extensione divinae inspirationis ad omnes et singulas sacrae Scripturae partes, non est nostrum hic tractare; hoc enim ad tractatum Inspirationis Biblicae pertinet. Exegeta ergo christianus tenetur hanc universalitatem divinae inspirationis defendere et sacros Libros ut divinos habere atque exponere.

b) *Veritas S. Scripturae.* Neque ad nos hic pertinet defendere omnimodam veritatem Sacrae Scripturae, quae pariter ad tractatum Inspirationis spectat. Admissa universalitate inspirationis, christianus exegeta, eiusdem veritatem defendere debet circa ea omnia quae ab hagiographis in sacris Libris consignantur, eo sensu quo ab ipsis referuntur.

1° *Citationes.* — Hinc christianus exegeta debet examinare,

num in textu exponendo habeantur citationes sive explicitae sive implicitatae (1). Et quatenus affirmative, ulterius quaerere debet an hagiographus has citationes probare vel sua facere. Si enim scriptor sacer neque eas approbat nec sua facit, iure censetur non proprio nomine loqui, et sic citationes istae essent in Sacra Scriptura per modum consignationis tantum.

In praxi ergo auctor inspiratus censetur approbare vel sua facere citationes illas, quae Deo, Christo vel Angelis bonis tribuuntur. Item citationes ex aliis libris inspiratis excerptas. Sermones non scriptos qui sanctis hominibus charismate inspirationis pollentibus tribuuntur: ita Canticum B. Mariae Virginis «Magnificat» (Luc. I, 46-55); verba S. Elisabeth, quae dicitur repleta fuisse Spiritu Sancto (Luc. I, 41-45); Canticum Zachariae «Benedictus», qui pariter repletus Spiritu Sancto prophetavit (Luc. I, 67-79). Sermones Apostolorum, qui charismate infallibilitatis in suo ministerio ornati erant. Item quidquid ipse hagiographus asserit, enuntiat, insinuat etiamsi expresse dicat suos humanas sensus exprimere (2). Verba dicta vel scripta ab hominibus non inspiratis, quae tamen hagiographus approbat: ea autem censenda sunt approbata deficientibus explicitis approbationis verbis, quae in contexta oratione auctor admittit. Hinc quando vago modo remittit ad alium fontem vel fontes, quidquid exinde hausit ipse censetur suum facere.

Habentur autem in Sacra Scriptura per modum consignationis tantum, ac proinde sine ulla additione ad veritatem, quam prae se ferunt, quando ab hagiographo reprobantur: ut illud Ps. XIII, I: «Dixit *insipiens* in corde suo: Non est Deus». Hinc subiungit «Corrupti sunt et abominabiles facti sunt etc.» Sap. II, 1-20: «Dixerunt enim cogitantes apud se *non recte*: Exigunm

(1) Circa citationes implicitas, cf. Responsum I, Pont. Commissionis de Re Biblica d. 13 Febr. 1905 datum; *Ench. Bibl.*, n. 153.

(2) Cf. Responsum XIV Pontificiae Comm. de Re Biblica, d. 18 Iunii 1915, de Parousia...; *Enh. Bibl.*, nn. 432 s.

et cum taedio est tempus vitae nostrae etc. » Unde addit hagiographus: « Haec cogitaverunt, et erraverunt: excaecavit enim illos malitia eorum » (v. 21). Item ea quae ex contextu talia censentur, ita fama quam Iudas Machabaeus de Romanis audivit Mach. VIII, 1-15.

2° *Modus loquendi.* — Attendat pariter exegeta num hagiographus loquatur in sensu proprio vel figurato; num affirmet narrando vel disputet. Quando enim refertur e. gr. parabola, verba non sunt in sensu historico sumenda; et quando habetur in Sacra Scriptura disputatio, in qua necessario contradictoria a diversis loquentibus affirmantur, illius dicta ut vera sumi tantum debent, quae ex contextu apparet hagiographus approbare ac sua facere.

3° *Scientiae naturales et historia.* — Tandem in difficultatibus quae contra Sacros Libros sive ex scientiis naturalibus sive ex historia desumuntur, christianus exegeta, nullo modo debet veritatem Sacrae Scripturae derelinquere, sed firmiter tenere inter veritatem divinam et veritatem humanam nullam esse posse oppositionem; ac proinde conari debet ut servatis utriusque iuribus difficultates solvat, secundum principia a Leone XIII in Encyclica « Providentissimus » et a Benedicto XV, in Encyclica « Spiritus Paraclitus » tradita. In rebus physicis nempe non est necesse quaerere veritatem scientificam. Hinc Leo XIII scribit: « In consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura » (1); quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo, per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadunt sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer

(1) S. Augustinus, *De Genesi ad litt.*, II, c. IX, n. 20; PL, XXXIV, 270 s.

(monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent » (1), seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more » (2).

Item PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA dicit: « Cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionum ordinemque creationis completum scientifico more docere, sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo ferebat per ea tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, *non est* in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas » (3).

In rebus vero historicis exegeta christianus eorum quae ab hagiographis affirmantur veritatem strenue defendere debet, prae oculis habitis ea quae supra diximus sive de citationibus, sive de locutionibus figuratis vel disputativis. Hinc quando LEO XIII, post tradita principia de scientiis physicis subiungit: « Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri » (4) non ita est intellegendus ac si hagrographi in rebus historicis facta narrent non prouti gesta sunt sed sicut apud vulgum ferebantur; sed ut authentice mentem Summi Pontificis aperuit BENEDICTUS XV, « ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam » (5).

Haec generalia principia heuristicae christianae recensuisse sufficere credimus. Concludimus ergo revocando ea quae dicta sunt. Exegeta christianus tenetur defendere universam Sacrae Scripturae inspirationem, et consequenter eiusdem veritatem quae necessario sequitur illis in locis, quos hagiographus approbat vel

(1) S. THOMAS, *Sum. Theol.*, I, qu. LXX, a. I ad 3.

(2) LEO XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 106.

(3) Responsum VI, d. 30 Iunii 1909, de charactere historico trium priorum capitum Geneseos, VII; *Ench. Bibl.*, n. 338.

(4) LEO XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 108.

(5) BENEDICTUS XV, *Encyc.* « *Spiritus Paraclitus* »; *Ench. Bibl.*, n. 471.

suos facit. Si ergo adsit validum argumentum quo probari possit auctorem sacrum non narrare res tamquam in veritatem gestas, licet etiam determinato formali libro obiecto ea eliminare quae non sunt historica. Si vero nullum habeatur argumentum contra veram historicitatem libri, tunc cum scriptor sacer sub divina inspiratione errare non possit, omnia quae ipse dicit, tamquam in veritate gesta exponi debent. Tota ergo Sacra Scriptura inquantum continet Dei verbum nobis per auctores inspiratos humano modo loquentes transmissum, est inspirata et infallibilis sive in rebus fidei morumque sive in rebus physicis et historicis. Cum tamen in Sacra Scriptura quaedam habeantur quae vel non secundum strictam exigentiam scientificam rerum naturalium, vel ibi habeantur per modum consignationis tantum haec ab illis ope heuristicae sunt discernenda et secundum eorum obiectivum valorem exponenda.

## Art. III — HEURISTICA CATHOLICA

**23. Interpretationes authenticae Sacrae Scripturae.** Libri inspirati sunt etiam Ecclesiae traditi et sub hoc aspectu canonici vocantur. Ecclesiae autem est eosdem libros fidelibus proponere. Hinc theologi duplicem distinguunt interpretationem: *scientificam* scilicet et *authenticam;* prior habetur quando interpretatio fit secundum regulas rationales vel in nostro casu secundum regulas rationales simul et christianas in duobus praecedentibus articulis traditas; posterior vero habetur quando interpretatio fit ab ipso auctore vel ab auctoritatem habente: sic habetur authentica interpretatio pro parabola seminantis (Mt. XIII, 3-9; 18-23); vel ab habente auctoritate, i. e. ab alio auctore inspirato, ut saepe fit in Novo Testamento; vel a moraliter unanimi consensu Patrum, qui utpote organa divinae Traditionis interpretationes authenticas tradere possunt, vel tandem ab ipsa Ecclesia, quae suo

infallibili magisterio sub Spiritus Sancti assistentia determinare potest verum sensum Sacrae Scripturae.

Deficiente quacumque authentica interpretatione exegeta catholicus ad aliam legem observandam astringitur, quae « analogia fidei » vocari solet: quatenus scilicet sua interpretatio nihil contineat alii alicui dogmati contrarium.

Tres ergo sunt regulae quibus exegesis catholica distinguitur ab exegesi acatholica, praecipue protestantica, scilicet: interpretatio Ecclesiae, interpretatio Patrum, et interpretatio secundum fidei analogiam: quae, ut patet, in tota Sacra Scriptura adhiberi debent, si habeantur, si vero deest interpretatio Ecclesiae vel Patrum, sufficit fidei analogia.

24. **Interpretatio authentica Ecclesiae.** Quod Ecclesiae competit ius et officium authenticae Sacram Scripturam interpretandi, fuit semper Patrum doctrina pluries a Summis Pontificibus et a Conciliis definita.

Ita CONCILIUM TRIDENTINUM decrevit: « Ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat » (1).

Unde in *Professione fidei tridentina* dicitur: « Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor » (2).

(1) CONCILIUM TRIDENTINUM, Sessio IV, 8 Apr. 1546, Decretum de editione et usu Sacrorum Librorum; *Ench. Bibl.*, n. 47.

(2) PIUS IV (1559-1565). *Bulla « Iniunctum nobis »*, d. 13 Nov. 1564; *Ench. Bibl.*, n. 58.

Item CONCILIUM VATICANUM idem repetit dicens: « Quoniam vero, quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione Divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Sacram Scripturam interpretari » (1).

Hanc Conciliorum doctrinam ut par est sequentes tradiderunt Pontifices. Ita LEO XIII dicit: « Diffitendum non est religiosa quadam obscuritate Sacros Libros involvi ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit (2): Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio SS. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam Sanctus docuit IRENAEUS (3): cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam synodus Vaticana amplexa est quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae partinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est

(1) CONCILIUM VATICANUM. Constitutio dogmatica « Dei Filius » de fide catholica, sessio III, 24 apr. 1870; Cap. 2. De Revelatione; *Ench. Bibl.*, n. 63.

(2) S. HIERONYMUS, *Epist.* LIII (al CIII) *ad Paulinum* 4.

(3) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.*, IV, 26, 5.

iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari » (1). Et alibi idem Pontifex dicit: « Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandis tradidisse »; sequitur citatio Concilii Vaticani supra allata. « Eam esse Divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum Divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint » (2).

Item PIUS X sequentes propositiones damnavit:

« Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni.

« Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest » (3).

Tandem BENEDICTUS XV dicit: « Omnino igitur quam plurimos quamque maxime idoneos excitetis oportet sanctissimae causae defensores qui cum iis congrediantur, qui, profanarum novitatum cupidi, Sacras Litteras quasi librum prorsus humanum interpretari audent, aut a sententiis discedunt in Ecclesia a prisca antiquitate receptis, aut magisterium eius sic negligunt, ut Apostolicae Sedis Constitutiones et Pontificii Concilii de Re Biblica decreta parvi pendant, vel silentio praetereant, vel etiam ad placita sua subdole petulanterve detorquent » (4).

(1) LEO XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 93.

(2) IDEM, *Litt. Apos.* « *Vigilantiae* », d. 30 Oct. 1902; *Ench. Bibl.*, n. 134.

(3) PIUS X, *Decretum* « *Lamentabili* », d. 3 Iulii 1907, Prop. 2-4; *Ench. Bibl.*, nn. 186, 188.

(4) BENEDICTUS XV. *Encyc.* « *Spiritus Paraclitus* »; *Ench. Bibl.*, n. 487.

Hinc ipsa COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA in suis responsis, ut supra vidimus, saepe praemittit *salvo semper sensu et iudicio Ecclesiae.*

Ex his multiplicibus documentis patet Ecclesiae competere ius authentice interpretandi Sacram Scripturam, qui omnes fideles parere tenentur. Talis autem interpretatio est obiectum heuristicae catholicae.

**25. Extensio interpretationis authenticae Ecclesiae.** Duo hac in re sunt errores vitandi: unus per excessum peccat, affirmans quidquid in Sacra Scriptura contineri, subiectum esse positivae interpretationi authenticae Ecclesiae; alter per defectum subtrahit ab Ecclesiae potestate quidquid ad dogmata religionis christianae confirmanda non pertinet.

Veritas tamen media est inter hos excessus. Iam vidimus in textu Concilii Vaticani supra allato, obiectum interpretationis authenticae Ecclesiae esse *res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentes.* Hae sunt ergo primarium et immediatum obiectum interpretationis Ecclesiasticae: quae tamen et alia secum ferunt quae ideo pertinent secundario ad obiectum interpretationis Ecclesiae, scilicet ea omnia quae cum rebus fidei et morum sunt conexa: secus enim laeduntur priora. Res autem in Sacra Scriptura contentae, quae ad fidem et mores non pertinent sunt pariter cum dogmate inspirationis atque inerrantiae biblicae conexae ac proinde *negative* saltem pertinent ad interpretationem Ecclesiasticam, quatenus Ecclesia reicere potest quamcumque expositionem quae unum alterumve dogma laedit.

**26. Variae Ecclesiae interpretationes.** Ecclesia diversimode interpretari potest verba Sacrae Scripturae; et quidem:

1° *Directe,* determinando sensum obiectivum alicuius versiculi. Tales interpretationes authenticae habentur pro sequentibus locis in Conciliis Tridentino et Vaticano datae:

a) Io. III, 5: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto », quae de aqua vera et naturali interpretari debent (1).

b) Mt. XVIII, 18: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo », etc.:

Io. XX, 23: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.» Utrumque textum authentice interpretatur de episcopis et sacerdotibus (2).

c) Iac. V, 14s. « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, demittentur ei ». Quae verba continent promulgationem Sacramenti Extremae Unctionis (3).

d) Mt. XVI, 16-19: « Beatus es Simon Bar Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis » et

Io. XXI, 15-18: « Pasce agnos meos... Pasce oves meas » interpretantur de primato iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promisso atque collato a Christo Domino (4).

(1) Conc. Tridentinum, sessio VII, d. 3 Martii 1547, Canones de Baptismo, Can. 2; Denzinger, *Ench. Symb.*, n. 858.

(2) Idem, sessio XIV, d. 25 Nov. 1551, Doctrina De Sacramento Paenitentiae, Cap. VI De ministro huius sacramenti et absolutione; Denzinger, n. 902; Can. 10; Denzinger, n. 920.

(3) Idem, *ibidem*, Doctrina de sacramento extremae unctionis, c. I - De institutione sacramenti extremae unctionis; Denzinger, n. 908. Can. I, Denzinger, n. 926.

(4) Concilium Vaticanum, sessio IV, d. 18 Iulii 1820, Constitutio dogmatica I de Ecclesia Christi. Cap. I - De Apostolici primatus... institutione. Denzinger, n. 1822.

2° *Indirecte.* Ecclesia interpretatur authentice aliquem textu indirecte quando eo utitur ad aliquam veritatem dogmaticam ex illo probandam. Quamvis tunc textum illum non intendit Ecclesia directe definire tamen attribuit ei sensum aliquem quem revera habet et sic temerarium esset contradicere. Agitur hic ut patet de textu citato ad veritatem probandum secundum sensum obiectivum et non per accomodationem, vel secundum sensum ex illo quoquomodo derivato.

3° *Negative.* Ecclesia negative textum Scripturae interpretatur quando aliquam interpretationem textus biblici ut erroneam reicit. Tunc enim declarando falsitatem alicuius sententiae negative se habet ad alias interpretationes eiusdem textus. Sic Pius VI negative interpretavit vaticinium Isaiae in Emmanuelem, quando damnavit sententiam in qua illud vaticinium erat in sensu non messianico interpretatum (1).

4° Huc spectat etiam memorare sententias a PONTIFICIA COMMISSIONE DE RE BIBLICA latas, quae obligant perinde ac decreta Sacrarum Congregationum pertinentia ad doctrinam et approbata a Pontifice. Qui enim has sententias non acceptat verbis vel scriptis eas impugnans non potest notam tum detractatae obedientiae, tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi; idque praeter quo offendunt, ceteraque, quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronuntiatis (2).

**27. Utilitas interpretationis Ecclesiasticae.** Interpretatio Sacrae Scripturae facta ab Ecclesia ex una parte fundatur in magisterio infallibili Ecclesiae, cui Deus tradidit sacros libros; ex altera parte in ipsa Sacrarum Scripturarum obscuritate, ad quam illustrandam, ut dicit LEO XIII, « non valent hermenenticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia » (3).

(1) PIUS VI, *Breve « Divina »*, d. 20 sept. 1779; *Ench. Bibl.*, n. 59.

(2) PIUS X, *Motu proprio « Praestantia Scripturae Sacrae »*, d. 18 Nov. 1907; *Ench. Bibl.*, n. 279.

(3) LEO XIII, *Litt. Apos. « Vigilantiae »*, d. 30 Oct. 1902; *Ench. Bibl.*, n. 134.

Acatholici talem interpretationem reiciunt eamque habent ut libertati ac progressui scientiae biblicae contrariam. Ad quos licet his LEONIS XIII verbis respondere: « Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coercet, sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem Divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitas adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis ». Et concludit Summus Pontifex: « Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis N.T., aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu « sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio » (1), eadem ipse ratione interpretatur; atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari » (2).

28. **Interpretatio Patristica.** Ecclesia authenticas suas interpretationes non solum ex Sacra Scriptura sed etiam ex Traditione, altero divinae revelationis fonte secundum doctrinam catholicam, haurit. Hinc deficiente authentica interpretatione Scripturae vel Ecclesiae, exegeta catholicus tenetur ad Patrum scripta recursum habere, unde verum Sacrae Scripturae sensum haurire potest. Propterea CONCILIA TRIDENTINUM et VATICANUM, supra laudata, ad latus interpretationis Ecclesiae addunt « unanimem consensum Patrum ».

(1) CONCILIUM VATICANUM, sessio 3, Cap. III, De fide.

(2) LEO XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 94.

Patrum auctoritatem in interpretanda S. Scriptura semper magni fecerunt Romani Pontifices et Concilia. Ita iam Leo I (440-461) scribebat: « Cum ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem vero liceat dissidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati Apostoli et Patres nostri didicerunt atque docuerunt... » (1).

Concilium Meldense (17 Iunii 847) praecipit: « In exponendis... vel praedicandis divinis Scripturis, sanctorum catholicorum et probatissimorum Patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillet » (2).

Item Concilium Provinciale Florentinum (1517-1518) edicit: « Scripturam Sacram non esse aliter interpretandam quam sacri Doctores interpretati sunt, et damnat novarum opinionum assertores » (3).

Idem praescribit Concilium Senonense (1523-1534) (4).

Leo XIII Patrum doctrinam his verbis comprehendit: « Huius igitur discpilinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit SS. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane inculcat Hieronymus (5). multumque Augustinus, qui iusta cum querela « si unaquaque disciplina, inquit, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere! » (6) Id ipsumsensere et exemplo confirmavere ceteri Patres, qui « Divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria praesumptione sed ex

(1) Leo I, Epist. LXXXVIII, *Ad Marcianum Augustum; Ench. Bibl.*, n. 18.

(2) Concilium Meldense, can. 34; *Ench. Bibl.*, n. 25.

(3) Concilium Provinciale Florentinum, Cap. VI, De magistris...; *Ench. Bibl.*, n. 35.

(4) Concilium Senonense, *Decreta fidei*, Dec. IV; *Ench. Bibl.*, n. 39.

(5) S. Hieronymus, *Epist.* LIII (al. CIII), 6 ss.

(6) S. Augustinus, *De Utilitate Credendi*, XVII, 35.

maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat » (1).

« Iamvero SS. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit » (2), summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitidum eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, cum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo revelatae doctrinae et multarum notitia rerum; ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu » (3).

**29. Extensio interpretationis Patristicae.** Ex his allatis documentis nullo labore constat natura interpretationis Patristicae eiusque extensio. Patres, ligitimi Apostolorum successores, organa sunt divinae Traditionis, ac proinde eorum auctoritas summa est cum de re agitur ad fidem moresque pertinente. Ut autem talis doctrina vere censeatur ab Apostolis descendere requiritur ut omnes uno eodemque modo eamdem doctrinam explicent. Haec autem unanimitas non est necesse ut sit *mathematica*, sed sufficit *moralis*, quae habetur quando plures Patres diversarum regionum atque temporum conveniunt ceteris non contradicentibus. Tunc enim bene verificantur verba TERTULLIANI: « Si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab Apo-

(1) RUFINUS, *Historia Eccl.*, II, 9.

(2) S. AUGUSTINUS, *Contra Iulianum*, II, c. 10, 37.

(3) LEO XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, nn. 95-96.

stolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum » (1).

Patres res fidei et morum in Sacra Scriptura contentas authentice interpretantur sive *positive*, quando aliqua verba Scripturae uniformiter modo supra dicto explicant; sive *negative*, quando explicationem aliquam communi sententia reiciunt; tunc enim haec sententia reici debet, quamvis forsitan circa positivam Patrum illius textus expositionem nihil certi haberi exinde possit.

Si vero non sunt tot Patres ut interpretatio aliqua dici possit communis, tunc eorum auctoritas non omnino astringit, sed tamen est magni aestimanda, ut dicit LEO XIII in allato textu.

Quando vero Patres de aliis rebus ad fidem moresque non pertinentes tractant, tunc talis est eorum valor doctrinae, qualem argumentorum examen demonstrabit. Hinc LEO XIII monet: « Quod vero defensio Scripturae Sanctae agenda est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unamimi tradant consensu; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit sanctis diversimode opinari sicut et nobis », ut est S. THOMAE (2) sententia. Qui et alio loco prudentissime habet: « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi, communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei

(1) TERTULLIANUS, *Adv. Marcionem*, IV, V; PL, II, 395.

(2) S. THOMAS, *Sum. Theol.*, I, qu. LXX, a I ad 3.

praebeatur » (1). Sane quamquam ea quae speculatores naturae certis argumentis certa iam affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas » (2).

Hinc etiam PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA permittit ut in interpretandis illis trium priorum Geneseos capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique tradiderint, salvo Ecclesiae iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit sequi tuerique sententiam (3).

**30. Utilitas interpretationis Patrum.** Protestantes et Modernistae (4) interpretationem Patristicam quocumque supernaturali charactere dispoliant eamque non secus ac humanam quamcumque interpretationem tractant. Quantum autem hoc distet a catholica doctrina ex dictis luculenter patet. Exegeta catholicus ergo Patrum sententiam, positis ponendis, sequi fideliter debet. « Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab AUGUSTINO sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere (5): quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem, ne illa negligat, quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata

(1) IDEM, 2 *Sent.*, Dist. II, qu. I, art. III.

(2) LEO XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 107.

(3) Resp. VI, 30 Iunii 1909, De charactere historico trium priorum capitum Geneseos, Dub. IV; *Ench. Bibl.*, n. 335.

(4) Cf. PIUS X, *Encyc.* « *Pascendi* »; *Ench. Bibl.*, n. 260.

(5) S. AUGUSTINUS, *De Genesi ad Litteram*, VII, c. 7, n. 13.

sunt, maxime cum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti » (1).

Huc spectat etiam aliquid de aliis scriptoribus sive catholicis sive acatholicis dicere.

a) *Auctores Catholici.* Auctores catholici qui studia excolunt biblica secundum normas ac directiones Ecclesiae quando communiter circa res fidei et morum inveniuntur firmum praebent argumentum pro eorum interpretatione, sunt enim organa ac ministri Ecclesiae. In aliis vero rebus eadem ac Patres gaudent auctoritate.

De his haec scribit Leo XIII: « Ceterorum interpretum catholicorum est minor [quam illa Patrum] quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda » (2).

b) *Auctores Acatholici.* E contra auctores ab Ecclesia Catholica separati, cuius cum normas ac directiones non sequantur, verum Scripturarum sensum non valent attingere, nedum ad res fidei morumque non inserviunt sed etiam eorum libros e fidelium manibus arcet Ecclesia. Non quidem quod in his rebus lumine naturali ducti aliquid boni dicere non valeant, et tunc possunt etiam citari eo quod ab auctoribus non suspectis validum testimonium petitur; sed quia haec bona rara et quasi per accidens inveniuntur. Hinc pariter de eis scribit Leo XIII: « At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque

(1) Leo XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 97.

(2) Idem, *ibidem; Ench. Bibl.*, n. 98.

cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis (1). incorruptum Sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui verae fidei expertes, Scripturae, non medullam attingunt, sed corticem rodunt » (2).

In aliis vero rebus fidei moribusque extraneis ut in re critica ac historica atque in scientiis naturalibus, eis uti licet positis ponendis, secundum eorundem valorem ac competentiam. Hinc iterum Leo XIII concedit: « Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti: sed cautione opus ac delectu est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus » (3).

(1) Cf. Clemens Alex., *Stromata*, VII, 16; Origenes, *De principiis*, IV, 8; *In Leviticum*, Hom. IV, 8; Tertullianus, *De praescriptione*, 15 s.; S. Hilarius, *In Matthaeum*, XIII, 1.

(2) S. Gregorius Mag., *Moralia*, XX, 9 (al. 11). — Leo XIII, *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n .98. Cf. etiam *Litt. Apost.* « *Vigilantiae* »; *Ench. Bibl.*, n. 134: « Laborandum... est, ut nequando inter catholicos invalescat illa setiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intelligentia ab externae eruditionis apparatu sit in primis quaerenda... demum legitimum Divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint ».

(3) Leo XIII, *Litt. Apost.* « *Vigilantiae* »; *Ench. Bibl.*, n. 135.

**31. Analogia Fidei.** Authentica interpretatio sive ipsius Scripturae, sive Ecclesiae, sive Patrum non ad totam extenditur Scripturam: plura enim sunt circa quae nulla unquam authentica data fuit interpretatio. Haec autem exegeta cum interpretatur se qui debet fidei analogiam, ut scilicet nihil dicat quod dogma aliquod laedere possit. Hanc regulam iam praescripsit Leo XIII: « In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda: nam, cum et Sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur » (1). Et in alio loco: « Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla exstiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiae, liceat privatis doctoribus eam, quam quisque probarit, sequi tuerique sententiam: quibus tamen in locis cognitum est analogiam fidei catholicamque doctrinam servari tamquam normam oportere » (2).

Item Pius X praescripsit sequentem iurisurandi formulam: « ... Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticem textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere ampletitur... » (3).

Item Pontificia Commissio de Re Biblica de tribus prioribus Geneseos capitibus dicit illos locos, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique tradi-

(1) Idem. *Encyc.* « *Providentissimus* »; *Ench. Bibl.*, n. 94.

(2) Idem, *Litt. Apost.* « *Vigilantiae* »; *Ench. Bibl.*, n. 136.

(3) Pius X, *Motu proprio* « *Sacrorum Antistitum* » d. 1 Sep. 1910; *Ench. Bibl.*, n. 350.

derint, licere, salvo Ecclesiae iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam (60).

Haec regula ut patet saepissime est tantum norma negativa, quatenus scilicet indicat interpretationem dogmatibus vel doctrinis catholicis contrariam esse falsam. Potest tamen in quibusdam casibus esse positiva interpretandi norma; ut si inter varias possibiles interpretationes una tantum sit secundam analogiam fidei possibilis. Tunc enim nonnisi illa vera esse potest. Si vero plures interpretationes possibiles sint etiam fidei analogiae conformes, tunc aliunde quaerendum est, quaenam eorum sit probabilior, scilicet ex heuristica rationali et christiana.

(1) Resp. VI, d. 30 Iunii 1909, de caractere historico trium priorum capitum Geneseos, Dub. IV; *Ench. Bibl.*, n. 335.

## CAPUT III

## DE SACRAE SCRIPTURAE EXPOSITIONE
(PROPHORISTICA)

**32 Varii modi exponendi Sacram Scripturam** (1). S. Scriptura exponi potest simplici versione, vel paraphrasi eadem lingua originalis seu alia lingua, vel homilia, scholiis, glossis, vel tandem commentariis proprie dictis. De singulis pauca dicenda sunt.

a) *De Versionibus S. Scripturae.* Inter omnes libros Sacra Scriptura, ut par est, maximam habuit diffusionem, praecipue Novum Testamentum. Necessitas religiosa fecit ut iam ineunte saec. II ante Christum prima pars Canonis Iudaeorum in graecam linguam verteretur et paulatim ceteri libri eamdem habuerunt sortem. Praecipue vero christianorum opera tum V. tum N. Testamentum factum est ut sacri libri in innumeras verterentur linguas. Utilitas harum versionum magna est praecipue antiquarum, et quidem non solum pro critica textuali, sed etiam pro interpretatione: saepe enim interpretatio in aliam linguam secum fert aliquam textus expositionem, quatenus vertendo partes obscuras praecipue ad aliquem determinatum sensum trahuntur. Adde quod versiones pluribus in modis fieri possunt, scilicet modo servili ac litterali, verbum quantum fieri potest per verbum reddendo, vel tantummodo ad sensum vertendo vel etiam paraphrasi i. e. amplioribus verbis textum in eadem vel in diversam linguam explicando.

(1) Cf. P. HÖPFL H., O. S. B., *Tractatus de Insp. sacrae script. et comp. Haermeneuticae biblicae cath.* 2 Romae 1929, pp. 235-247.

Quia lectio Sacrae Scripturae non sit omnibus fidelibus necessaria (1), immo propter eiusdem obscuritatem potest esse nociva (2), plures Romani Pontifices libertatem legendi Scripturas coarctarunt. Ecclesiae Romanae doctrinam ultimus exposuit LEO XIII, qui sequentia praecepit:

1° Quoad textum originalem et antiquas versiones:

« 5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnent in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

« 6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum, sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae ».

2° Quoad versiones vernaculas:

« 7. Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumpti ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

« 8. Interdicuntur versiones omnes sacrorum librorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus

(1) Hinc Ecclesia sequentes propositiones damnavit: « Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus », DENZINGER, n. 1430 « Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab eius lectione » *Ibid.*, n. 1431. Cf. etiam nn. 1429, 1432-1435. Ut falsa et temeraria habetur « doctrina perhibens, a lectione sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare », DENZ. 1567.

(2) Cf. S. HIERONYMUM, *Epist. ad Paulin.*, n. 16.

non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis Libris edendis funditus posthabeantur.

« Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt » (1).

His servatis lectio Sacrae Scripturae, praecipue N. T. est utilissima semperque maximi eam fecerunt Patres atque Ecclesia.

b) *Glossae ac Scholia. Glossae* hic sumuntur pro parvis illis explicationibus quibus verba Sacrae Scripturae illustrabantur. Hae explicationes quandoque aliqua verba obscuriora, quandoque sensum respiciunt. Huiusmodi glossae vel in margine scribebantur = *glossa marginalis;* vel inter versus = *glossa interlinearis.*

*Scholia* vero significant notas aliquas cuiuscumque generis quibus obscuriora in Sacra Scriptura explicantur. Scholia ergo sunt adnotationes plus minusve sporadicae secundum textus obscuritatem et exponentis intentum.

Huc spectant etiam *Postillae,* quae a verbis: *post illa* verba textus, nomen derivant, quia breves erant explicationes post verba textus addita.

c) *Commentarii.* Est verum opus biblicum in quo ea omnia dicuntur quae ad plenam cognitionem alicuius sacri libri conferre possunt. Commentatores communiter praemittere solent *specialem introductionem* in librum quem exponere intendunt. In ipso deinde commentario ea omnia applicant quae sive pro *critica textuali* ad fideliorem lectionem inveniendam, sive in *hermeneutica* ad probabiliorem auctoris sensum inveniendum, praescribuntur. Generaliter commentarium claudunt *exursus* sive historici sive theologici etc., secundum quod postulant libri in quos institutus est commentarius.

(1) Leo XIII, *Constitutio « Officiorum ac munerum »* d. 25 Jan. 1897; *Ench. Bibl.,* nn. 122-125.

# INDEX

*Praefatio* . . . . . 3

PROLEGOMENA

§ 1. — Definitio et divisio tractatus . . . . . 5

CAPUT I

DE SENSIBUS SACRAE SCRIPTURAE

§ 2. — Difficultas quaestionis eiusque partitio . . . . . 7

*Art. I. — Variae sensus biblici divisiones.*

§ 3. — Sensus notio . . . . . 7
§ 4. — Sensus scripturistici . . . . . 8
§ 5. — Sensus scripturistici divisiones: . . . . . 9
α) Triplex sensus biblici divisio . . . . . 9
β) Quadruplex sensus biblici disivio . . . . . 11
γ) Duplex sensus biblici divisio . . . . . 14

*Art. II. — De sensu litterali.*

§ 6. — Sensus litteralis notio ac divisio . . . . . 15
α) Divisio sensus litteralis secundum genera litteraria . . . 16
β) Divisio sensus litteralis secundum verborum significationem 17
γ) Divisio sensus litteralis secundum ubertatem sensus . . . 21
§ 7. — Sensus litteralis apud Patres et Theologos . . . . . 22
§ 8. — Universalitas sensus litteralis . . . . . 26
§ 9. — Unitas sensus litteralis . . . . . 27
§ 10. — Vis probativa sensus litteralis . . . . . 33
α) Sensus expliciti et obiectivi . . . . . 33

β) Sensus impliciti . . . . . 33
γ) Sensus consequentis . . . . . 33
δ) Sensus accomodati . . . . . 34

*Art. III. — De sensu spirituali.*

§ 11. — Sensus spiritualis notio et divisio . . . . . 34
α) Divisio sensus spiritualis secundum antetypos . . . . 36
β) Divisio sensus spiritualis secundum verborum significationem 36
§ 12. — Exsistentia sensus spiritualis . . . . . 36
§ 13. — Extensio sensus spiritualis . . . . . 38
§ 14. — Vis probativa sensus spiritualis . . . . . 39

## Caput II

## DE S. SCRIPTURAE SENSU INVENIENDO

§ 15. — Divisio heuristicae . . . . . 41

*Art. I. — Heuristica rationalis.*

§ 16. — Heuristicae rationalis munera . . . . . 42
§ 17. — Critica textualis . . . . . 42
§ 18. — Expositio philologica . . . . . 43
§ 19. — Expositio logica . . . . . 45
§ 20. — Critica litteraria . . . . . 47
§ 21. — Critica historica . . . . . 48

*Art. II. — Heuristica christiana.*

§ 22. — Heuristica christiana eiusque obiectum . . . . . 49
α) Inspiratio S. Scripturae . . . . . 49
β) Veritas S. Scripturae . . . . . 49
1° Citationes . . . . . 49
2° Modus loquendi . . . . . 51
3° Scientiae naturales et historia . . . . . 51

*Art. III. — Heuristica Catholica.*

§ 23. — Interpretationes authenticae S. Scripturae . . . . . 53
§ 24. — Interpretatio authentica Ecclesiae . . . . . 54
§ 25. — Extensio interpretationis authenticae Ecclesiae . . . . . 57
§ 26. — Variae Ecclesiae interpretationes . . . . . 57
§ 27. — Utilitas interpretationis Ecclesiasticae . . . . . 59
§ 28. — Interpretatio Patristica . . . . . 60
§ 29. — Extensio interpretationis Patristicae . . . . . 62
§ 30. — Utilitas interpretationis Patrum . . . . . 64
α) Auctores Catholici . . . . . 65
β) Auctores Acatholici . . . . . 65
§ 31. — Analogia Fidei . . . . . 67

## Caput III.

## DE SACRAE SCRIPTURAE EXPOSITIONE

§ 32. — Varii modi exponendi S. Scripturam . . . . . 69
α) De Versionibus S. Scripturae . . . . . 69
β) Glossae et scholia . . . . . 71
γ) Commentarii . . . . . 71

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

220.6
Z19

3706

ZARB, S.M.

AUTHOR

De Hermeneutica Biblica

TITLE

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER |
|---|---|---|
| AUG 16 | Fr. Curran | |
| | Snyder | |
| | STORAGE - COSA | |
| | | |
| | | |

3706